3. ~~tallér~~ flor. 1871. I. 17.

# ADAMI GOSLAVI
*a Bebelno*

# DISPUTATIO DE PERSONA.

*In qua*

JACOBO MARTINI, PROFESSORI Witembergensi, ea in libro secundo de tribus Elohim refellere enitenti, quæ ab auctore contra BARTHOLOMÆUM Keckermannum, parte tertia disputata sunt, tum de ratione personæ in genere sumptæ, tum de definitione Divinæ personæ, a Justino, ut vulgò creditur, tradita, respondetur.



RACOVIÆ,
Typis Sebastiani Sternacii,
1620.

# LECTORI MEO *Salutem.*

A Disputationibus scholasticis libentiùs abstinuissem, lector optime, quàm ut id a me dici possit. Quid enim alienius est a simplicitate veritatis cælestis, quàm hæc talia, quæ disputamus? Quæ quotusquisque est qui intelligat? Et ut intelligant quàm plurimi, adeò de iis non convenit inter magnos illos religionis professores, ut frequenter dubites, cui eorum adhæreas. Sunt enim qui pro suo Thoma cominùs atque eminùs dimicent. Sunt qui huic Scotum præferant. Alii ut nominales, alii ut reales loquuntur, Et tamen imperitæ multitudini consulendum est, pro qua non minùs Christus mortuus est, quàm pro magnis illis rabinis, quorum magna volumina suspicimus & admiramur; quiq; facilimam & omnibus expositam Christi veritatem, de industria difficillimam reddiderunt, aucupandæ dumtaxat gloriolæ caussâ. Cum tamen non illud esse nobis studio debeat, ut ipsi litterati videamur, sed ut quàm plurimos ad Christi veritatem pelliciamus. Quod fieri nequit, si Occamos, aut Durandos, aut Scotos, aut Gabrieles, aut Thomas, aut id genus alios apud imperitam plebem deposuerimus: quæ rudis est & incapax inexplicabili-

um quæſtionum de inſtantibus, de formalitatibus, de quidditatibus, de relationibus & perſonalitatibus, aut ſi quid eſt hujus farinæ. Quid igitur mirum eſt, ſi non multum emolumenti ſperem ex iſta perdifficili & intricata diſputatione, ad quam non niſi ſumma adactus neceſſitate acceſſi. nec ſtudio defendendi mea, ſed veritatis divinæ tuendæ gratiâ. Ea enim eſt iniquitas adverſariorum, ut cum non ſatis habeant cæleſtem veritatem inexplicabilibus labyrinthis implicaſſe, ſpinisq; ac inutilibus ſcholaſticorum tricis involviſſe, etiam illa ipſa principia jam nobis eripere ſubmovereq; ſtudeant, quibus abſurda & falſa dogmata hactenus ipſi ſuperſtruxerunt. Argumento eſt hæc de perſona diſputatio. Quam antea ſtatuentes ſubſtantiam individuam intelligentem, jam quidpiam aliud comminiſcuntur, ut vim & robur effugiant, quod obeſſe ſibi animadvertunt: hoc ipſo oculatiores antiquis theologis ſe facientes, quòd illi admittentes, perſonam eſſe ſubſtantiam individuam intelligétem, ſus deq; habuêre turpiſſimam a ſe involvi contradictionem. In quem ſcopulum nolentes impingere, quibus cum res nobis hodie eſt, aliam viam ingrediuntur. Scilicet negant perſonam id eſſe, quod eſſe hucusq; non ſolùm faſſi ſunt, ſed etiam ipſi docuerunt: non animadvertentes, ſe, dum Charybdim

dim fugiunt, incidere in Scyllam. Nam & incommodum haud vitant, quod vitare volunt; & pluribus difficultatibus se irretiunt. Qui enim non substantiam, sed subsistentiam personam esse contendunt, attendere debent, non minùs impossibile esse unicam numero essentiam pluribus gaudere subsistentiis, quàm unicam numero essentiam posse esse, pluribus existentibus personis. Vnius enim rei unica est forma: At subsistentia perficiens essentiam, forma & complementum est substantiæ. Et enim quid aliud est essentia subsistens, quàm substantia? Cæterùm & a veritate nihil est alienius, & re tanta nihil indignius, quàm personam esse ipsam rationem subsistendi. hinc quendam modum, nec rem, nec ens, sed non enti quiddam simillimum. Adeò fœcundus est error. In quem errorem cum Iacobus Martini, professor Wittebergicus incidat, stringens in me calamum, vulgò receptam personæ definitionem urgentem, iniquum mihi visum est, semel susceptam tuendæ veritatis provinciam derelinquere, licèt quàm multa mihi ad hanc rem rectè pertractandam deessent, probè cognitum perspectumque haberem. Eruditio namque mea tenuis est, ingenium aut nullum aut exiguum: & ut taceam alia, scholasticæ philosophiæ non admodum gnarus sum: cui litteris operam navanti, nihil

tunc nisi Aristotelicum sapiebat. Credebam enim ex ipso fonte dulciùs bibi aquas. Itaq; rivulos minimè sum consectatus. Sed neq; tempus mihi suppetebat evolvendorum tot tantorumq; voluminum. Neque hodie otii tantum est, ut vacare eorum lectioni possim. Quæ ideo moneo, ne cui mirum videri possit, parùm me acutè, parùmq; scholasticè cum adversario agere, ac scholasticorum terminos parcissimè usurpare. Quin statuat fieri aliter haud potuisse ab eo, qui intermissis tot annorum spatio litterarum studiis, re familiari variisque aliis negotiis occupatus impeditusque est. Quamquam nolim eam ob caussam mea contemni aut vilipendi. Simplex enim veritatis est oratio. Non si nihil sublime, nihil acutum, nihil doctum fuerit, propterea aut falsum, aut aspernandum. Veritas ut non quàmvis aversatur subtilitatem, ita eandem non consectatur magnopere. Et tamē utinam ea facilitate & perspicuitate hæc a nobis tractari potuissent, ut ab omnibus veritatis studiosis percipi & intelligi possint. Controversia gravissima agitatur in Ecclesia de tribus personis, quæ unicam singularem habeant essentiam. Eam, qui christianam religionem profitentur, ut cognoscant, interest omnium. Omnis enim error perniciosus est, at perniciosissimus in religione. Quocirca dolendum est,
solùm

ſolùm litteratis iſta a nobis ſcribi. Nam e plebe quis eſt, qui noverit nomina eſſentiarum, naturarum, ſubſiſtentiarum, ſubſtantiarum, hypoſtaſium, ſuppoſitorum, ſuppoſitalitatum, perſonarum, perſonalitatum, relationum, modorum, & id genus alia ſexcenta? quorum omnium vis & natura eos latet. Quæ ſi cognita cunctis eſſent, dubium non eſt, quin in errore pauciores deprehenderentur. Atqui omnes dependent a ſuis magiſtris, & iis, qui ſibi in religione præeunt. Eorum igitur eſt videre, ne vel in errorem abducant, vel in errore detineant, quos ſuæ curæ commiſſos habent. Sunt cuique controverſiæ ſua principia, ad quæ unaquæque revocanda eſt, tamquam ad amuſſim & indubitatam veritatis regulam. Principium controverſiæ de Trinitate, (etſi in hac, ut & in aliis omnibus, primum locum meritò damus ſacris litteris) eſt cognitio perſonæ. In qua evolvenda & declaranda, præſtitimus quæ potuimus, pro tenuitate ingenii, & paupertate eruditionis noſtræ. Quæ eruditi expendant eâ, quâ par eſt diligentiâ & candore, ad iſtam normam & amuſſim dogma trinitatis excutientes. Sed ante omnia ſuſpendant præjudicatam opinionem, ne cogantur dogma trinitatis regulam perſonæ conſtituere, non contrà. Nam qui ad hunc modum agunt, multiplici ſe involvunt difficultate: ha-

habentq; necesse semel constitutam perso-
næ rationem, postquam venitur ad dogm.
trinitatis, diruere & subvertere: ac tandem
aliam & aliam creatæ & increatæ personæ
rationem constituere, non invenientes in
quo consistant, & non sanæ modò rationi,
sed sacræ quoq; scripturæ repugnantia com-
miniscentes. Sed ego longiùs sum progres-
sus, quàm constitueram. Quare finem præ-
fationi faciam, & te ad meam cum Iacobo
Martini velitationem jam deducam. Deus
mentem tibi largiatur, ut & æquo animo no-
stra legas, & ex lectis eum fructum percipi-
as, cujus caussa hunc laborem, invocato
numine divino, suscepimus.

Vale.

# DISPUTATIONIS DE PERSONA PARS PRIMA,

*In qua de ratione PERSONÆ in genere sumptæ disputatur.*

## CAPUT PRIMUM, De occasione, statu, & partibus Disputationis.

*SUBVERTERE conatus es, Iacobe, vulgò receptam, & multo usu tritam Personæ Definitionem. Etenim, cum ego controversiam de tribus personis, in unica numero essentia existentibus, ad ejus principium, quod in omni disputatione fieri solet, revocarem: urgeremqúe adversus Keckermannum, Personam esse substantiam individuam intelligentem, quid non tentasti, ut receptam personæ definitionem elevares? quid non ausus es, ut personam esse subsistentiam incommunicabilem naturæ intellectualis constitueres? Scilicet, cum evidentem contradictionem, salvâ receptâ definitione, vitare non potueris, hanc deprimendam, aliam verò in ejus locum substituendam, sub qua tutiùs latitares, putasti. Quasi hæc abs te proposita plus ponderis habitura esset, quàm illa roboris ab unanimi tot ætatum, totqúe clarissimorum virorum consensu, & conspiratione. Sed vertas te Chamæleontis*

 instar

*instar, mille in formas: nihil non agas: nullum non moveas lapidem, quid aliud efficies, quàm errorem errore gravissimo accumulabis, qui unicus tui laboris erit fructus? Cæterùm ne rudioribus diutiùs imponas, tibiq́ue tuo sophismate nimiùm blandiaris, constitui, Deo opitulante, licet a scholasticis contentionibus aliàs vehementer abhorream, semel a me susceptam provinciam tueri & defendere: ne si eam desererem, veritatem videar prodidisse. quâ quid antiquius nobis esse debet? Ea propter non tantummodo traditam a me personæ definitionem adversus te defendam, sed tuam quoque refellere conabor. Eâdem operâ rationes contra Iustini, seu cujuscunq; illa sit, Trinitatis personæ definitionem, a me in disputatione contra Keckermannum allatas, a tuis impugnationibus, & responsionibus vindicabo, propugnabo, asseram. Quocirca duas hujus Disputationis constituam partes. Quarum altera aget de Persona in genere considerata: Altera tractabit in specie de divina persona. Hunc autem laborem nostrum vertat in sempiternam sui nominis gloriam clementissimus & benignissimus cælestis pater, calamum, mentemq́ue nostram divino suo lumine dirigens. Amen.*

## CAPUT SECUNDUM.

## Vulgò recepta personæ Definitio proponitur.

P*Ersonam etsi non omnes eodem modo definivêre: o-*

re: omnes tamen, quod sciam, Boëtianam definitionem commendatam sibi habent. qui primus fertur Personam definivisse, substantiam individuam naturæ rationalis. Huc enim collimant, qui personam definitione evolvere sunt conati; tum inquam ii, qui personam definiunt, individuum incommunicabile, intelligens, non partem alicujus, nec sustentatum ab alio: e quorum numero Philippus Melanchthon: tum illi, qui breviùs, & contractiùs dicunt, esse substantiam individuam intelligentem: sive addant, sive non, incommunicabilitatem. Nam quòd quidam opponunt, incommunicabilitatem esse prætermissam a Boëtio: & rationale angustiùs patere, quàm ut omnibus personis competat, de verbis potiùs, quàm de re litem instituere mihi videntur. Quippe quòd non animadvertunt, Boëtium substantiæ individuæ nomine, completam substantiam intellexisse. cujusmodi est Socrates, Plato, Bucephalus &c. Substantiam dico omnium absolutissimam, per se subsistentem, nec aliunde dependentem. quam videlicet auctor categoriarum substantiam primam vocat; philosophus, nunc ultimum, nunc primum subjectum. Idem rationale tàm latè sumpsit, quàm latè patet illa facultas, quâ a brutis, & ratione carentibus animantibus distinguimur. Cum autem distinguamur, non minus facultate, quæ sine discursu cognoscit, quàm potestate discurrendi, non minùs illam, quàm hanc Boëtius rationalis vocabulo complexus est. ut videatur sophistarum esse, rationale in Boëtii definitione, ad solam facultatem per discur-

*sum cognoscendi contrahere, & restringere, rationem pro sola ratiocinandi vi sumentium. Neque enim attendunt, animæ facultatum non esse aliam rationalem, aliam intellectualem. alioquin plures, quàm tres essent animæ potestates, vegetativa, sensitiva, rationalis 3. de Anima cap: 2. Ex eo igitur quòd anima nunc discurrendo, nunc absque discursu quidpiam cognoscit, duplex animæ rationalis munus constituendum est, non duplex facultas, quarum alia sit rationalis, alia intellectualis. Porro qui Boëtium eo nomine reprehenderet, quòd personam substantiam dixerit, inque definitionem substantiæ nomen inseruerit, mihi videre hactenus neminem contigit. tametsi videtur non vacare culpâ, quòd positâ substantiâ, naturæ meminerit: cum substantia nihil aliud sit, quàm subsistens natura. Laborat eodem pleonasmo Durandus, quum ita scribit in verbis a te citatis:* Omnis persona est suppositum: & omne suppositum est individuum: sed non omne individuum est suppositum: nec suppositum persona. Quoniam quælibet natura singularis, in quocunque genere sit, potest dici individua. Suppositũ autẽ non dicitur, nisi natura singularis in prædicamento substantiæ: nec quæcunque talis, sed solùm completa. Persona dicitur illud idem in natura intellectuali solùm. *Quibus in verbis & suppositi, & personæ definitionem explicavit. Illud dicens esse naturam singularem in prædicamento substantiæ: hanc naturam itidem singularem subsisten-*

*stentem in natura intellectuali. At quorsum naturæ vocem repetit, quam antea dixerat? Nunquid non dixerat esse naturam? Redundare autem vocem naturæ obliquo casu expreßam in Boëtiana definitione, argumento quoque est definitio suppositi, quam Fonseca ex Boëtiana personæ definitione elicit, detractis ultimis verbis, naturæ rationalis 5. metaphysicorum cap: 8. q. 5. sect: 3. Namque postquam dixißet a Theologis suppositum definiri substantiam completam incommunicabilem, veluti est Socrates, Plato, & alii individui homines, ait hanc definitionem excipi & depromi ex Boëtiana personæ definitione, verbis ultimis amputatis. Atqui natura ad constituendam suppositi rationem tam est necessaria, quàm ex commemoratis suppositi conditionibus aliqua. Expressa igitur, & comprehensa est substantiæ vocabulo: nisi quòd substantia præter rationem naturæ, etiam subsistendi rationem denotet. Quis enim negaverit Platonem, Socratem, & alios individuos homines, esse naturas subsistentes? Hoc ideo monere volui, ne quis ex Boëtiana definitione occasionem sumat errandi, sentiens Boëtium quidpiam aliud substantiæ voce significare voluisse, quàm naturam subsistentem. In eandem sententiam Philippus definivit personam: licet aliquando pluribus, aliquando paucioribus verbis. Præter commemoratam enim definitionem cap: de substantia in suis Dialecticis, personam dicit esse, individuum intelligens, incommunicabile; individui nomine naturam singularem subsistentem, ut constat ex loco, in*

*quo hanc definitionem proponit, intelligens. Quin tu fateris communiter personam definiri, substantiam seu subsistens individuum intelligens incommunicabile. Quam definitionem cùm ego adversus Keckermannum urgeam, tu autem illam impugnes, non mihi, sed scholarum magistris universæq; antiquitati litem movisse videris. Sed jam cur minùs accuratam vulgò receptam definitionem esse dicas, rationem tuam attendamus, simulqúe expendamus.*

## Caput Tertium.

### Ratio Adversarii refellitur, quâ evincere voluit, vulgò receptam personæ definitionem non esse accuratam.

*At vulgò receptam personæ definitionem non esse accuratam, ob eam rationem pronuncias, quòd non sit personæ in abstracto, sed in concreto sumptæ,* connotantis ipsam naturam, sive essentiam, cujus incommunicabilis subsistentia est, *cap: 4. pag: 38. Inprimis autem fatemur, definitiones accuratas, non esse nisi abstractorum: seu, nihil accuratè definiri posse, nisi quod fuerit sumptum in abstracto. Abstractorum verò nomine intelligimus universales conceptus: rationes scilicet, & quidditates abstractas ab inferioribus, & a subjectis. universalis enim rei ac formæ ratio est, 7. Metaph: cap: 11. Hinc in definitionibus nefas est quic-*

quicquam sumere extra rationem & quidditatem existens. Ea de caussa, in circuli definitione non aßumemus æs, aut lignum, aut aliquid aliud, quod non fuerit de ratione & quidditate circuli: neque in definitione hominis assumemus conditiones particularium hominum, sed quæ sunt rationis partes 7. metaph: cap: 10. Quod si per abstractum aliud intelligis quàm rationem & quidditatem rei, nempe actum aut formam, nobiliorem rationis partem; præterquam quòd talia non dicuntur propriè abstracta, seu illa abstracta, de quibus loquimur; negamus, non nisi talium esse accuratas definitiones. Sunt enim accuratissimæ definitiones compositorũ: in quibus materia generis locum tenet, forma differentiæ, Aristot: 2. post Analyticorum: cap: 14. Quo in loco utilissima & elegantissima reliquit præcepta. Itaq; accuratissimè defini es, exempli cauβâ, animal per materiam & formam. scilicet, quòd sit corpus sentiens. Quippe quòd ejusmodi definitio explicat essentiam rei, cujus cognitio quæritur. Alia est ratio formarum, in quarum definitionibus actus generis loco ponitur, materia differentiæ, ut & in accidentibus. utrobique tamen, & in compositorum, inquam, & in formarum definitionibus, iidem retinentur termini: eam ob caussam, quòd forma seu actus, rationem habens ad materiam, non nisi per materiam, quæ altera est pars compositi, definiri queat. Diverso tamen modo. Nam in compositis, materia primum locum sibi vendicat, & in recto casu ponitur: in formis postremum, & casu obliquo,

*ad instar accidentium, cum quibus similitudinem habent. quòd sicut accidentia non consistant absq; subjecto; ita sublatâ materiâ, forma pereat. Vtriusq; enim ratio est inesse, sed alia, & alia ratione.*

*Hisce ita explicatis, quo tandem argumento fidem facies, vulgò receptam personæ definitionem factam esse in concreto? Quid concreti nomine appellas? Num exempli causâ, Hominem respectu humanitatis, & animal respectu animalitatis? an album, curvum, & id genus alia, respectu albedinis, curvitatis? Siquidem utroque in genere Scholastici concretum, & abstractum constituunt. Ex quónam igitur numero vis esse personam ut a nobis definita est? Si in priore constituis, ac ex eorum numero esse censes, ex quorum numero est homo, & animal, talium propriè definitio est. Hæc autem non simpliciter concreta dicuntur, sed ratione abstractiorum, si modò licet abstractiora comminisci. Nam nunc cum scholasticis loquor, duplicia abstracta fingentibus, ultimata, ut vocant, & non ultimata. cùm hoc commentum ipse respuam. eò quòd abstractiorum multiplicatio otiosè & sine fructu sit introducta. Qua de re non est locus nunc disserendi. Habeant se ista utcunque: parum nostra interest. Illud certum, ea abstracta, quæ scholastici vocant non ultimata, & quæ dicuntur abstractiorum ratione concreta, accuratissimè definiri: nec esse propriè definitionem, nisi horum. Vltimata enim abstracta, quà talia, veluti animalitas, humanitas, albedinitas, & his similia a nobis non definiuntur. Itaq; hominem,*

minem, & animal definiemus, non humanitatem, & animalitatem; nisi ut actum & formam, non ut naturam & essentiam Hominis, & animalis ista accipiamus: sicuti accipimus simitatem, definientes eam curvitatem nasi. Curvitas enim in naso dicitur simitas: & animalitas est anima in corpore sentiens: humanitas intellectus in animali. At animalitas, & humanitas, si essentiam & quidditatem Hominis, & animalis denotent, Suarez Dis: 15. sect: 11. Num: 3. sunt idem, quod homo, & animal. Nam quòd quidam arbitrantur, hoc differre hominem ab humanitate, & animal ab animalitate, quòd homo & animal, ac cætera id genus, præter rationem subsistentiam significent, quam non significent ultimata abstracta, non parùm falluntur. Aut enim per subsistentiam intelligunt rationem subsistendi, quæ inhærentiæ opponitur, communisq; est secundæ, & primæ substantiæ: aut actum per se subsistendi, qui proprius est primarum substantiarum. Si prius? non minùs de ratione animalitatis & humanitatis est ejusmodi subsistentia, quàm de ratione hominis & animalis. cùm utraque substantiæ sint. Si posterius? animal & homo universaliter sumpta destituuntur actu subsistendi: eò quòd singularia duntaxat subsistant. Ea de caussa ejusmodi subsistentiæ nulla habetur in definitionibus ratio; sed eorum, quæ sunt de ratione, cujusmodi est prior subsistentia. Vt igitur quidam rectè sentiunt, accidentia abstracta non resolvi in abstractiora, verbi gratia, colorem in coloreitatem, & albedinem in

*albedinitatem, & his similia, ob eam rationem, quòd color idem prorsus sit, atque natura, quâ color est color; & albedo atque natura, quâ albedo est albedo; proinde albedinitatem, & coloreitatem voce tantùm, & non significatione esse abstractiora, Fonseca 5. metaph: cap: 28. q. 13. sect: 5 Sic, quicquid idem Fonseca aliter in substantiis evenire sentiat, eodem jure statuendum est, hominem & animal, & cætera hujus generis, nihil discrepare abhumanitate & animalitate, & in universum abstracta non ultimata ab ultimatis. Similiter enim homo & animal idem sunt, atque natura, quà sunt hic quidem homo, illud verò animal: nec est quicquam, quod homo, & animal naturæ hominis, & animalis addat. Quid igitur, Iacobe, prætendis, te personalitatem, me personam definivisse? Nunquid tibi aliud est personalitas? aliud mihi persona? Atqui mihi persona est ratio & essentia. universalis dico ille conceptus, mente ab inferioribus abstractus: seu natura per quam persona est persona. Idem proculdubio tibi personalitas, ita, ut cùm in re ipsa conveniamus, verbis dissentire videamur. An tu per personalitatem aliud intelligis? id est, non formam totius, totam nempe rei essentiam, ex materia & forma conflatam, sed actum & partialem personæ formam? At hac significatione de persona non disputamus. Non enim partis personæ cognitionem inquirimus, sed quidditatem & rationem, quæ actu & materia constat.*

*Ast ego, Iacobe, vereor, ne personam ad accidens*

*dens referas, aut ingenium accidentis redolere dicas. Id est, in iis reponas, quorum ratio est inesse in alio, ut in subjecto. Tribuis enim personæ subjectum, cum multis aliis in locis, tum disertè cap: 13. pag: 31. Quod dum facis, videris velle personam in concreto sumptam, tale quidpiam esse, quale est album, cæcum, risibile: subjectum nimirùm cum sua affectione. Sed erras, erras, inquam, vehementer. Etenim rationem personæ prorsus evertis. Num enim persona tibi non est suppositum, in cujus definitione suppositum loco generis adhibes? pag: 32. Atqui ratio suppositi est subesse, non inesse. id quod nominis etymon abundè testatur. Est namq; fulcrum, & fundamentum cæterorum. Verùm invicem se perimunt, esse cæterorum subjectum, & inesse in subjecto. Eandem etymologiam confirmas, incommunicabile suppositum statuens. Quid enim aliud est suppositum esse incommunicabile, quàm non dependere, nec dependere posse ab ullo subsistente. Non dependere autem, nec dependere posse ab ullo subsistente, est stare per se. Rursus stare per se, est esse cæterorum subjectum & fundamentum.*

*Porrò natura, quam personæ subjectum comminisceris; & in qua tuæ ratiocinationis robur collocas, est materia personæ, non subjectum. Nosti autem discrimen inter materiam, & subjectum. Materia est ens potentiâ 8. metaph: cap: 1. Subjectum est ens actu. Ens potentiâ dicitur, quicquid ab adveniente forma perficitur, & in ratione perfectiori constituitur, cujus gratiâ est. Ens actu est in suo*

*esse perfectum: & cujus ratione, quæ ei adduntur, habent se, non ut forma, sed ut affectiones.* Nihil *verò obstat, quominus idem sit ens potentiâ, & ens actu diverso respectu.* Exemplo *sit animal, quod quatenus perficitur ab intellectu, & in ratione hominis constituitur, est ens potentiâ: at ratione aliarum facultatum, est subjectum. Æstimatur materia, & subjectum, si quod advenit alicui, illud perficiat, aut non perficiat.* Nam *quod perficit, & novam speciem ac rationem inducit, dicitur advenire materiæ: contrà quod non perficit, nec novam speciem constituit, subjecto, & non materiæ adveniet.*

*Iam naturam seu essentiam eße materiam personæ non subjectum, nimis apertum est. Siquidem intellectus accedens naturæ seu substantiæ individuæ, personam conficit, quæ componitur ex intellectu, & individua substantia. Similiter subsistentia pro actu subsistendi accepta, naturæ copulata, substantiam primam seu suppositum reddit. At suppositum in ratione personæ, materiam non subjectum refert. Vnde in ratione personæ generis sibi usurpat locum, abs teq; illi generis partes in definitione tribuuntur. Eam ob rem tam intellectus, quàm subsistentia, relata ad naturam, formæ rationem, non affectionis habent: ut videatur natura esse alicujus gratiâ. tendit enim ad perfectionem. at forma est finis. Quid igitur est, quòd ausus sis asseverare, definitionem in scholis receptam & usitatam non esse personæ in abstracto, sed in concreto sumptæ? An non pro concesso sumis, naturam, sive essen-*

*tiam*

*tiam non esse de intrinseca & formali personæ ratione? Id verò quis tibi concedet? aut illud, substantiam sive naturam contra distingui personæ in sua formalitate consideratæ? pag: 72. Cujus tuæ assertionis cur ne unum quidem argumentum, aut saltem speciem argumenti producis? Scias igitur, me negare, naturam extra formalem personæ rationem considerari, & naturam subjectum personæ esse, & non materiam. Itaq; admodum impropriè dicis, personam a nobis definitam connotare naturam, connotandi verbo propriè sumpto. multominùs rectè pronuncias, naturam a persona denominari: personâ ex alio rerum genere existente, quàm ex eorum, quæ in alio insunt, ut in subjecto. Sed ut tantò apertior, & evidentior tuus error fiat (etsi uno verbo, potuerim argumentum tuum solvere, negando eam partem, in qua asseris, naturam non esse de intrinseca & formali personæ ratione, sed esse subjectum) conabor ostendere, naturam non aliter se in ratione personæ habere, quàm se habet animal in constitutione hominis: aut corpus in constitutione animalis. id est, esse partem rationis personæ, non subjectum. Atque ad hoc demonstrandum jam me accingo.*

## CAPUT QUARTUM.

### Naturam seu substantiam esse de intrinseca & formali suppositi ratione.

*IGitur quod inter nos potissimùm disputatur, est, utrum substantia, seu natura subsistens, sit de intrin-*

*trin-*

trinseca & formali personæ ratione: cùm eo nomine receptam personæ definitionem rejicias, quòd substantia seu natura subsistens in ea assumatur. Nam etsi eandem in tua definitione ponas, definiens personam subsistentiam incōmunicabilem naturæ intellectualis, est tamen inter tuam, & vulgò receptam definitionem discrimen. Namq; natura tibi est personæ subjectum: ob id obliquo casu in definitione abs te effertur. contrà nobis est pars rationis, & eam ob caussam recto casu in vulgò recepta personæ definitione ponitur. Proinde controversiæ status hic est, cùm duplex sit ratio & quidditas, una subjecti, in qua prædicatum inest: altera prædicati, in qua subjectum, Aristoteles 1. post: cap: 4., utro modo substantia, seu natura in ratione personæ se habeat? id est, utrum eo modo ingrediatur personæ definitionem, quemadmodum ea, quæ in primo per se dicendi modo prædicantur, definitionem subjecti ingrediuntur? An verò eo modo, quo subjectum ingreditur definitionem prædicati, quod de eo dicitur in secundo per se dicendi modo? Quod si clariùs, & breviùs loqui velimus, utrum substantia sit verum personæ genus, ex eadem prædicamenti serie petitum? An verò ex alia categoria, ut subjectum. Hoc est illud, de quo controversamur in hac disputatione. ubi quoque non obscurè me reprehendis incommunicabilitatis exclusæ caußâ. De qua incommunicabilitate habebimus nonnihil necesse disserere. Pòst quidditatis personæ explicationem aggrediemur. Tandem his absolutis ad examinandam

*dam tuam definitionem deveniemus, ac ita primam hujus disputationis partem concludemus.*

*Ac ut eò commodiùs hanc disputationem instituamus, a supposito initium sumendum erit: tum, quòd universaliora notiora sint, ratioq; suppositi in ratione personæ insit; tum quòd omnis controversia circa suppositi rationem versetur. Quare ante omnia hoc cognoscendum est. Id verò haud aliter fiet, quàm si speculemur rerum genera: & hoc viso, quonam ex genere suppositum sit. Nam esse præsupponimus, quidditatem ejus quærentes. Quid sit enim, præsupponit quæstionem an sit: & Definitio est essentiæ notificatio, Arist: 2. post cap: 3. t. 12. Concluditur igitur suppositum* esse: *nec id inter nos dubitatur. Per essentiam enim est, quicquid est: ideoq; sublatâ eßentiâ, tollitur* esse. *unde illud tuum,* ὂν sive εἶναι ne concipi quidem potest, sine ὀυσίᾳ, sive essentia, omne enim, quod ὂν est, sive de quo εἶναι dicitur, id per ὀυσίαν ita est, & dicitur. *pag. 28.*

*Porrò eorum, quæ sunt, quædam per se stant: quædam non per se stant, sed in alio, ut in subjecto inhærent. Quæ cùm contradictoriè opponantur: contradictoriè verò oppositorum nullum medium sit, suppositum alterutrum horum erit. id est, aut ingenium eorum habet, quæ per se stant; aut eorum, quæ in alio inhærent ut in subjecto. jam utro in genere sit, aliqua est difficultas. Ad quam tollendam perutile est cognoscere quid nominis. Cognoscemus autem, partim ex etymologia verbi, partim*

*ex scho-*

*ex scholasticis, quorum vocabula sunt suppositum, & persona: olim Aristoteli & aliis antiquis Philosophis incognita, nunc usu tritissima. Etymologiam verbi si expendamus, derivatum est suppositum a verbo suppono. nempe quòd ceteris rebus supponatur: ideoq; ultimum rerum est, & separabile. Quam etymologiam indicat Fonseca, quando scribit*, per suppositum primos hujus nominis impositores, significare voluisse, ultimũ quidpiam, & quod nulli inferiori determinatiorique prædicationis subjecto, per modum formæ informantis communicari possit. *Ex quo colligit id omne rationem suppositi non habere, quicquid non subsit aliis 5. metaph: cap: 8. q. 3. sect: 3. Idem vult Suarez, qui ait, suppositum formalissimè & propriissimè acceptum, & quatenus est suppositum, in ratione sua includere, quòd ultimò sit terminatum, dis: 34. s. 5. n. 59. Quæ omnia an non luculenter testantur, suppositum non alio rerum ex genere esse, quàm ex eorum, quæ per se stant? Quid enim aliud est subesse omnibus, quàm per se stare? Quid ultimò esse terminatum, quàm hoc idem? ut videatur scholasticis suppositum nihil aliud esse, quàm quod Aristoteli est, ultimum subjectum 5. metaph: cap: 8. Licet enim sic ratiocinari: Illud, de quo cætera dicuntur, ipsum verò non dicitur de ullo alio, est ultimum subjectum 5. metaph: cap: 3. At suppositum tale est: Igitur suppositum est ultimum subjectum. Hoc autem cùm sit substantia maximè & propriè 7. metaph: cap: 3. & 8.*

*& 8. metaph: cap: 1, quâ tandem fronte abs te negatur in ratione suppositi substantiam includi? Quæ cum duplex sit, prima & secunda, inest secunda in ratione primæ substantiæ: magisq; rationem essentiæ & naturæ, quàm substantiæ habet. Sive enim a subsistendo, sive a substando deducas nomen substantiæ, primæ substantiæ propriè sibi rationem substantiæ vendicant.*

*Eodem pertinet suppositum esse incommunicabile. Namq; incommunicabilitas suppositi, aut est ipsa ratio per se subsistendi, aut saltem ita conjuncta cum subsistendi ratione, ut altera ab altera divelli & separari haud possit. Siquidem juxta scholasticos, communicari involvit apertam contradictionem, repugnantem rationi subsistentiæ, quæ essentialiter includit independentiam ab alio sustentante seu subsistente, Suarez dis: 34. s. 1. num: 11. Ajunt enim subsistentiam esse intrinsecum modum per se actualiter essendi: ob idqúe manifestam habere oppositionem, proximam & immediatam cum modo essendi in alio, ut in supposito. Suarez dis: 34. s. 4. n. 36. Quo respexisse videris concludens Deum eße incommunicabilem, ex eo, quòd per se subsistat: nec amittere possit rationem subsistendi. Ergo, inquis* incommunicabilis est Deus. amitteret enim suam subsistentiam, & in aliam assumeretur. *Pagina verò 44. ais, aurum, si in alieno* ὑφιςαμένῳ *fuerit, incommunicabilitatem non habere ob amissam subsistentiam. Verba tua sunt:* Quandoquidem per resolutionem, pro-

priam subsistentiam amisit: atq; ideo communicabile factum est ex incommunicabili. *Quid igitur impedit, quominus inferamus, suppositum in iis esse numerandum, quae per se stant?*

*Quid plura? Qui suppositi naturam evolvunt, subsistentiam ejus actum constituunt. Audi primùm Suarem:* Formaliter loquendo de supposito, ut suppositum est, subsistentia dicenda est, de intrinseca ratione ejus, ut forma constituens illud. *disput: 34. s. 4. num: 12. Deinde Fonsecam* Subsistentia non est actus naturae humanae aut divinae, sed solius suppositi, sive creatum illud sit, sive increatum. *5. metap: cap: 8 q. 5. s 9. At quae subsistentiam habent, necesse est eorum rationem induere, quae per se subsistunt. Subsistentia enim est ratio illa, quâ aliquid subsistit. Ergo cum suppositum in ratione sua subsistentiam includat, evidens est, suppositum non alio in ordine rerum esse collocandum, quàm in eorum, quae per se stant.*

*At ratio per se subsistendi duplex est: unde bina substantia. Vel enim dicuntur per se subsistere, quae inhaerentiae in subjecto opponuntur, & haec ratio subsistendi secundarum est substantiarum: vel quae omnem inhaerentiam excludunt, & ista subsistentia primam perficit substantiam, suppositum, quia est ultimum quiddam, ultimòque terminatum: quia omnibus aliis rebus subest, ac denique incommunicabile, id est, separabile, seu hoc aliquid, non depen-*

*dependens ab ullo sustentante, prima est substantia, seu perfectissimo modo subsistit.*

## Caput Quintum.

## Ad rationem suppositi hoc tantùm requiri, ut sit substantia prima.

*HIS constitutis, definiemus suppositum substantiam primam: seu, naturam per se subsistentem. Naturam, quòd ex entium & rerum numero suppositum esse demonstratum sit: subsistentem, quòd non insit in alio, ut in subjecto. Per se, quòd ultimum & ultimò terminatum, quodq́ cæteris rebus supponatur. Subsistat enim per se necesse est, quicquid columna & fundamentum reliquorum est. Hanc definitionem expressimus, personam definientes substantiam primam, intelligentem. Vbi substantia prima suppositi naturam declarat: intellectus personæ. Adstipulantur ea in re nobis Suarez, & Fonseca. ille dicens suppositum absolutè dictum significare substantiam completam & totalem, atque omnino determinatam in genere substantiæ Dis: 34. sec: 5. num: 58. Hîc suppositum, ut suppositum est, rationem substantiæ sibi vendicare, atque adeò præcipuæ & completæ omnino substantiæ, 5. metaph: cap: 8. q. 6. s. 4. Loquuntur autem, ut apparet, de supposito à conditionibus materiæ separato. Itaq́, manifestum est ad constituendam suppositi rationem duo concurrere, naturam nempe, & subsistentiam. Quarum illa materiæ, hæc actus*

*vices tenet. Nec dubium est, quin natura materiæ rationem obtineat, cum subsistentia actus & forma suppositi sit. Omnis enim actus præsupponit potentiam: & forma postulat materiam. At quod subsistentiam informet, nihil aliud est, quàm natura: quæ ejus gratiâ est, ut subsistat. tunc enim suam assequitur perfectionem. Eleganter hac ipsa de re disseruisse mihi videtur Suarez, Dis. 34. s. 2. n. 20.* Quocirca, *inquit*, si comparemus suppositum ad naturam, distinguuntur tanquam includens & inclusum. Nam suppositum includit naturam: & aliquid addit, quod personalitas, & suppositalitas, aut subsistentia creata appellari potest. Natura verò ex se præscindit ab hoc addito, seu subsistentia. Quo fit, ut natura possit de potentia absoluta sine subsistentia conservari, suppositum verò non possit conservari sinè natura: quia illam formaliter includit, & per illam in esse talis subsistentiæ constituitur. At verò comparando subsistentiam ad ipsam naturam, contra distinguuntur tanquam duo extrema, componentia suppositum creatũ. *Quid potuit vel clariùs, vel elegantiùs dici ad explicandam vim & naturam suppositi? Duplicem instituit collationem, unam suppositi cum natura: alteram naturæ cum subsistentia. In priori ait suppositum ad naturam ita se habere, ut se habet totum ad partem: id est, naturam in ratione suppositi includi. In priori naturam & subsistentiam, esse*

duo

*duo extrema suppositum componentia. Ex utraque collatione apparet, & naturam & subsistentiam pertinere ad rationem suppositi, eaq; satis esse.*

*Nec obstat quòd creati suppositi mentionem fecerit. Creatum enim ac increatum suppositum, quà sunt supposita, sub eadem continentur specie. At specie idem sunt, quorum eadem est ratio. Ergo cum creati suppositi sit natura, & subsistentia: non potest non eadem esse suppositi increati. Alioquin suppositum homonymon esset: ideoque nec conceptus unicus a creato & increato supposito abstrahi posset: nec, quod consequens est, unica definitione utrunque comprehendi & explicari, contra quàm sentire videris, cap: 10. pag: 83. Sed & Fonseca haud ausus fuisset pronunciare, definitionem substantiæ primæ ab auctore categoriarum traditam, personæ divinæ convenire, dum modo finitum excludatur, 5 metaph: cap: 8. q. 5. At cui definitio convenit, convenit & ratio. Iam ratio substantiæ primæ constat naturâ, & subsistentiâ. Ergo eadem sunt in ratione personæ. Atqui persona & suppositum hoc tantùm differunt, quòd suppositum destitutum sit facultate intelligendi, quam ratio personæ necessario postulat. De natura igitur suppositi est subsistentia & natura.*

## Caput Sextum.

### Respondetur ad objectionem, quæ contra datam definitionem ab Adversario affertur.

VErùm ut datam suppositi definitionem convellas, hoc inter suppositum, & substantiam primam interesse asseris, quòd suppositum expers sit communicabilitatis cum alio supposito: substantiam autem primam nihil prohibeat cum supposito communicari. Quod discrimen multis in locis inculcas: latissimè verò persequeris cap: 7: in eam rem tria exempla producens, duo cap: 4. pag: 34, sal in aqua, & ignem in ferro: tertium cap: 7. pag: 44, aurum nempe in poculo exaurato. Quibus & similibus exemplis persuadere conaris, non eandem esse suppositi & substantiæ primæ rationem: immemor theseos de Persona 56, in qua ais, reciprocè indubitatò inferri, omnem primam substantiam creatam esse suppositum: & contra omne suppositum creatum, esse primam substantiam. idem cap: 8. repetis. Quasi minimè pugnantia sint, omnem primam substantiam creatam esse suppositum: & esse quandam primam substantiam creatam non suppositum. Sed expendamus rem a fundamento. Quam tu Iacobe rationem primæ substantiæ constituis? Annon quòd per se subsistat, & indivisibilis sit in plures integras & completas substantias? pag: 46. At per se subsistere, & non dependere ab alio sustentante, aut eadem sunt; aut alterum ab altero necessariò dependet. Iam ratio incommunicabilitatis est, non dependere ab alio sustentante. Qui igitur ista vel distinguis, vel separas, quæ invicem se consequuntur? Profectò, quæ non dependent ab alio sustentante, per se subsistunt: & contra, quæ per se sub-

*se subsistunt, ab alio sustentante non dependent. Quid igitur ais primam substantiam in sua formali ratione non includere incommunicabilitatem, suppositi formalitatem, sed duntaxat quòd per se sit subsistens & indivisibilis in plures completas substantias? Numquid ad constituendam incommunicabilitatem per se subsistendi ratio satis non est? aut quidpiam aliud est, unde incommunicabilitas suppositi proficiscatur? En Fonseca.* Adverte, *inquit*, in rebus creatis per idem formaliter esse primam substantiam, & suppositum: nempe per illud ipsum, quod supposită addit naturæ singulari in abstracto consideratæ, quicquid tandem id sit: Nam per illud idem fit independenter subsistens, per quod fit incommunicabile, & viceversa. *5. metaph: cap: 8. q. 9. sect: 10 Iam illud per quod aliquid fit independenter subsistens, an non est ratio per se & actu subsistendi? Atqui Suarez ait*, subsistentiæ rationem esse, constituere ens independens ab omni sustentante. *Dis: 34. sect: 4. num: 14. Idem ait, per subsistentiam creatam intrinsecè aliquid constitui incommunicabiliter subsistens. Quare potiùs ad hunc modum ratio colligenda erat. Prima substantia per se subsistit, ergo est incommunicabilis, & consequenter est suppositum. Quod autem attinet ad exempla abs te allata, dicendum est, si sal in aqua, ignis in ferro, & aurum in poculo exaurato, rationem subsistendi amiserunt, ut tu asseris pag: 44: & 45; etiam substantiæ primæ rationem amisisse, cum*

*se, cum sine illa nulla substantia prima consistere possit. Quapropter verissimum est, quod ais, omnem primam substantiam creatam esse suppositum: & contra. Quod idem Suarez contendit, multis rationibus evincere volens, primam substantiam, & suppositum in rebus creatis reciprocè dici, immo in re omnino idem esse, dis: 34. sect: 1. num: 9. In qua sententia est Fonseca quoque, 5. metaph: cap: 8. Sed & alii scholastici hoc ipsum sentiunt.*

*At dices in rebus creatis id tantùm locum habere: in divinis verò aliam esse rationem, eam ob caußam, quòd creata substantia sit finita: cùm divina sit infinita. Primùm cum de exemplis agatur, quibus primæ substantiæ incommunicabilitas ostenditur, ea autem petantur ex rebus creatis, satis est ostendisse tum abs te, tum ab aliis scholasticis credi & statui, omnem primam creatam substantiam, idem esse cum supposito: ac proinde exempla abs te allata nullius esse ponderis, ut pote quæ evertant universalem enunciationem. Deinde ratio, quæ discriminis caussa a vobis afferri solet, futilis prorsus est. Refellunt enim te tua ipsius commemorata exempla, quæ non minus sunt finita post amissam subsistendi rationem, quàm ante. Adde, si finitas est caussa incommunicabilitatis, quicquid est finitum, fore quoq; incommunicabile. Sed maximè redarguit te erroris ratio incommunicabilitatis, & ejus contrariæ communicabilitatis, cum illa sit non dependere, nec dependere posse ab alio ullo sustentante: Hæc contra, dependere, ac dependere posse ab*

*alio sustentante. Quid igitur dicemus? ea, quæ per se subsistunt, ob infinitatem dependere, & dependere posse ab alio sustentante? contra ob finitatem, quæ subsistendi rationem amiserunt, non dependere, nec dependere posse a subsistente ullo? Atqui istud est involvere contradictionem. Illud enim quod per se non subsistit, subsistet per se: & vice versa, quod per se subsistit, per se non subsistet.* Nihil *enim aliud est ratio per se subsistendi, quàm independentia ab ullo subsistente.*

## CAPUT SEPTIMUM.

### Quid de ratione suppositi, tum veteres Theologi senserint, tum recentiores quidam scholastici sentiant.

*Videtur autem non abs re futurum, si post explicatam a nobis suppositi rationem, tum veterum Theologorum, tum quorundam recentiorum scholasticorum sententiam eadem de re huc afferamus. Ac veterum quidem eò magis, quòd primi de persona & supposito disputare cæperint, ex quorum mente vocabula hæc accipienda sunt. Certum enim est, antiquioribus philosophis incognitos fuisse hosce terminos. Quocirca evolventi mihi veterum Theologorum monumenta, occurrit primùm Athanasius, qui in Dialogis de Trinitate, discrimen inter essentiam, & hypostasin hoc statuit,* si quid est essentiæ proprium, illud quoque est hypostasibus

sibus commune, quæ essentiæ subsunt. *Quibus ex verbis colligitur hypostasin esse essentiam. Primùm enim Athanasius ait hypostases essentiæ subesse. quod nihil aliud est, quàm rationem essentiæ participare. Subsunt enim inferiora superioribus. Atqui superiora de ratione inferiorum sunt. Deinde dicit, proprium eßentiæ esse commune hypostasibus. id quod fieri non posset, nisi hypostases in sua ratione, rationem essentiæ comprehenderent. Tunc enim verum est, proprium unius, esse commune alterius, si aliud se habuerit ut superius, aliud ut inferius. At superiorum ratio in inferiorum ratione continetur, non contrà. Constat igitur testimonio Athanasii, hypostasin in sua ratione essentiam includere: id est, essentiam de hypostasi in quid prædicari. Nec Basilius Magnus in libello hac de re ad Gregorium fratrem, episcopum Nisseæ conscripto, diversum sentit: utpote, qui inter essentiam, & hypostasin non aliam differentiam statuit, quàm quòd essentia sit communis ratio, pluribus hypostasibus conveniens: hypostasis eadem essentia ad individuum contracta.* Extat *Anastasii Patriarchæ Theopolitani, & Cyrilli Alexandrini compendiaria orthodoxæ fidei explicatio: in ea, & naturæ, & hyposta seos vocabula brevissimè explicantur.* Quid est, *inquiunt*, natura? Res universalis hypostases sibi subjectas complectens. Quid est hypostasis? essentia cum suis proprietatibus ab iis, quæ sunt eiusdem speciei, numero differens. *Habes essentiæ, & hypostaseos discrimen. At*

non illud essentiam contra distingui hypostasi, sed alterum latius esse, alterum strictius. Id est, hypostasin esse ut speciem, essentiam ut genus. Ab hac definitione non discrepant, qui hypostasin seu suppositum definiunt essentiam per se subsistentem, aut substantiam primam: vel, quod aliis placet hypostasin ad personam restringentibus, completam, intelligentem. Est enim ratio subsistendi illa proprietas, quâ hypostasis ab essentia discriminatur, & ab iis, quae sunt ejusdem speciei, numero differt. Fonseca arbitratur logico more suppositum definiri posse, ultimum praedicationis subjectum, quod nullo modo de pluribus naturali praedicatione dici possit 5. metaph: cap: 8. q. 5. s. 3. Iam praeter substantiam primam nullum aliud est praedicationis ultimum subjectum. Ea enim neque de subjecto dicitur, neque inest in subjecto, categ cap: 5. & Arist: metaph: cap: 8 & 7. metaph: cap: 3. Suarez de hypostasi disserens, inquit esse suppositum substantiam singulariter subsistentem, & incommunicabilem aliis similibus substantiis, dis: 34. sect: 1. num: 14. Breviter omnes, quod sciam, substantiae in definitione suppositi primum locum tribuunt, recto, non obliquo casu eã exprimentes. Eadem suppositi definitio conspici potest in eorum definitionibus, qui personam definiverunt. Qualis est illa Philippi Melanchthonis supra cap: 2. a nobis citata. Cui Keck. subscripsit in suis Logicis. Rudolphus Goclenius in praxi Logica cap: 5. object: 1. objicienti sibi, entis divisionem in substantiam & accidens, non esse immediatam, quòd horum neutrum sit si-

*ſit filius Dei, ſed perſona, reſpondet*, etſi in divinis diſtinguantur eſſentia a perſona, perſonam tamen eſſe ſubſtantiam. Subſtantiam enim eſſe commune quid, cui tanquam particularia & ſpecies ſubjiciuntur, eſſentia ſeu natura, & perſona. Dici enim perſonam eſſe ſubſtantiam individuam: eſſentiam eſſe ſubſtantiam communicabilem. *Quo loco advertendum eſt, Goclenium perſonam primùm ex entium numero cenſere: deinde eandem inter ſubſtantias referre, quicquid inter eſſentiam & perſonam diſtinguat. Mirum tamen videri poſſit, quomodo Goclenius perſonam ſubſtantiam conſtituat, cum eam ſecernat ab eſſentia. Nimis enim manifeſtum eſt, ſubſtantiam eſſe eſſentiam: potiùsqúe eſſentiam eſſe genus ſubſtantiæ, quàm ſubſtantiam eſſentiæ. At animadvertendum eſt, Goclenio hoc loco eſſentiam nihil aliud eſſe, quàm illam univerſalem naturam, quæ ab authore Categoriarum δ'εύτερα ȣσία dicitur. idqúe apparet ex eodem Goclenio, dicente eſſentiam eſſe ſubſtantiam communicabilem. Atqui ſubſtantia communicabilis non alia eſt, quàm δ'εύτερα ȣσία. Nam ſubſtantia ad quam perſonam rejicit, eſt πρώτη ȣσία, individua & ſingularis. Idcirco non ſolvit Goclenius dubium. Eſſentia enim quæ in divinis diſtinguitur a perſona, non eſt illa communis, a qua Goclenius perſonam removet, ſed eſt prima ſubſtantia, quo loco eam collocat. Eſt namque ſingularis & actu ſubſiſtens. Hoc igitur eſt quod*

*quæri-*

*quæritur, cum persona in divinis à Dei substantia distinguatur, quî divisio in substantiam & accidens est immediata? Videtur enim neq; accidens, neque substantia esse persona.*

## Caput Octavum.

## Naturam & substantiã non esse suppositi subjectum: ac proinde in ejus ratione non assumi ut subjectum.

*CVM igitur ex jam disputatis constet, suppositum in rerum per se subsistentium ordine consistere, quâ tandem ratione fieri potest, ut in ratione suppositi subjectum assumatur? Numquid subjectum non est eorum, quæ minimè per se subsistunt? Cur igitur naturam & substantiam comminiscerîs suppositi subjectum? quid à veritate alienius? Suppositum cæteris est subjectum, dictum ab eo quòd supponatur rebus aliis. At si subjectum habet, vel subjecti subjectum erit, vel suppositum haud cæteris rebus supponetur. Præterea, quæ subjectum habent, prædicantur de subjecto. at non suppositum de natura & substantia, sed contrà natura & substantia de supposito dicitur. Neque enim licet dicere, naturam & substantiam esse suppositum, sed suppositum esse naturam & substantiam. Adde, hoccine est suppositum esse incommunicabile, existere in alio, ut in subjecto? Quæcumque enim subjectum habent, in subjecto insunt. Atqui suppositum incommunicabile dici-*

*dicitur, quod ab alio sustentante non dependeat. Quocirca mirari licet, quid tibi in mentem tunc venerit, cum illud scriberes;* Personam ut non in divinis, ita neq; in humanis esse accidens aliquod substantiæ intelligenti inhærens, sed potiùs intrinsecum ejus modum, & determinationem, quæ nullam omnino habet essentiam sine ea essentia sive substantia, cujus determinatio sive modus est. *pag: 39. Id tibi persona? determinatio, inquam, seu modus, nullam eßentiam habens sine ea substantia, cujus modus & determinatio est? Quid magis ridiculum? quid magis falsum? quid tibi magis contrarium? an non personæ rationem formalem constituis in incommunicabilitate? cap: 4. At si persona talis est, qualem hoc loco esse vis, communicabilis est. determinatio enim & modus essentiæ sive substantiæ, is præsertim qui ne essentiam quidem habet absque ea substantia, cujus modus & determinatio est, communicatur substantiæ. quippe quòd inseparabilis est. cap: 18. pag: 118. Actiones esse suppositorum inquis, & quidem rectè, juxta receptum scholasticorum axioma. Verùm velim ego scire, quid modus & determinatio substantiæ agat? quamqúe tu ei actionem tribuas? In rebus creatis suppositum tibi est substantia prima. Iam cur determinatio & modus substantiæ? Ampliùs, inter ingredientia personæ cap: 7. numeras substantiam, ex eoq; ostendis Deo tam nomen, quàm rationem personæ convenire. Sed esse substantiam, & esse determinationem substantiæ, an*

*tiæ, an non saltem diversa sunt, si non pugnantia? Huc pertinet & illud tuum pag: 31. In præsenti negotio personam pro substantia accipi, non quâcumque, sed completâ & intelligente. Sit igitur persona tua determinatio & modus essentiæ seu substantiæ, nobis quid rei cum hujusmodi persona? Personam quærimus quæ sit substantia completa, intelligens. Modus & determinatio substantiæ hujus generis nõ est. Omnis enim modus incompletum quiddam est: multò minùs intellectu præditus. Vides igitur quò te studium contradicendi abripuerit: teq́; errori patrocinantem plures longè graviores necesse habere admittere errores. Sed ego jam his missis ad incommunicabilitatis rationem explanandam propero, quam tanti facis, ut sine ea formalem suppositi rationem consistere non posse contendas.*

## Caput Nonum.

### Incommunicabilitatis ratio explanatur: & simul indicatur jurè tum a Boëtio, tum a me vocem incommunicabilitatis in definitione personæ prætermissam esse.

*EXcutiens definitionem Philippianam, in qua individuum & incommunicabile simul ponuntur, expunxeram incommunicabile, eò quòd alterum redundaret. Sumpseram autem utrumque eadem significatione, per incommunicabile intelligens id, quod de pluribus non prædicatur: quæ ratio*

*est in-*

*est individui. Individuum enim propriè non dicitur de pluribus: eò quòd ejus ratio nequeat pluribus communicari. Ea propter definiens personam substantiam primam intelligentem, satis me ad ejus naturam & quidditatem explicandam dixisse, nec quidquam quod de ejus ratione esset, ommissum a me fuisse, arbitratus sum. Iam quereris incommunicabilitatem tum a me, tum a Boëtio prætermissam eße, dicens sub alia ratione formali intelligi individuum, sub alia incommunicabile cap: 6. pag: 45. Sed uter nostrum hic erret, considerandum est. Ante omnia autem tecum cogita, an, si individuum & incommunicabile sumantur ut synonyma, non verissimè a me dictum fuerit, alterum eorum redundare? ideoq; unum esse excludendum, definitione superfluitatem fastidiente? Atqui ego ista pro eodem sumpsi, ad tritissimam & vulgatissimam incommunicabilitatis significationem respiciens. siquidem notissimum est, vulgò dici illud incommunicabile, quod de pluribus non dicitur. Non dicitur autem, ut suprà monui, quòd ejus ratio haud queat esse communis pluribus. Vnum namque est, cujus materia est una 5. Metaph: cap: 6. commune verò, quod in pluribus est 7. Metaph: cap: 16. Ex quibus manifestum est, me individuum pro sola singularitatis ratione, a substantia & ab accidente abstracta sumpsisse, non pro individua substantia, nec pro supposito & persona, quod mihi, cum multis aliis in locis, tum pag: 45. affingis. Dixi, nullam eße personam, sub quocumque genere consideretur, id est, sive*

*sive fuerit divina, sive creata, quæ non sit individua. At id longè aliud est, quàm personam aut suppositum esse idem, quod individuum. Quamquam Philippus in definitione personæ simplici individui nomine utitur, individuum proculdubio pro substantia prima usurpans, qua tu significatione illud sumis, quando ita scribis,* Individuum sive substantia prima tantùm negat divisionem specierum & generum. *pag: 46. Hæc monere volui priusquam accederem ad abstergendam inustam definitioni meæ notam. Etenim grave crimen est, si quid in definitione prætermittatur: longeq́ gravius, quàm si in ea aliquid redundet. Itaq; ratio reddenda est omissæ incommunicabilitatis.*

*Incommunicabilitatis igitur varia est vis & significatio. Quantùm ad institutum nostrum spectat, duo ejus sunt significata. Vnum est de pluribus non prædicari, de quo jam est dictum. Alterum non dependere, nec dependere posse ab ullo subsistente. Reliquæ significationes huc non pertinent. Quæ si fuerint de ratione suppositi, de iis non disputatur. Ea de caußa Suarez, cum multas enumerasset incommunicabilitates, ab ea, quæ est suppositi, omnes alias exclusit. Est autem illi suppositi incommunicabilitas, non posse communicari alteri supposito, ut ab eo sustentetur & terminetur, non solùm creato, sed etiam divino; disputatione 34. sect: 5. num. 48. Quo significat per incommunicabilitatem se non aliud intelligere, quàm rationem per se subsistendi. Vltima enim est in constituenda substantia: cujus sub-*

*stantiæ est, ab alio non sustentari. Cum igitur ex duabus a me explicatis incommunicabilitatibus, priorem non intelligas, relinquitur te loqui de altera incommunicabilitate, quæ consistat in ratione per se subsistendi. Quare agemus de ea, cum & tu per incōmunicabilitatem eam intelligas, per quam stat quominus suppositum alteri supposito communicari possit. Quod non aliud est, quàm suppositum ab alio supposito non posse dependere. Non potest autem dependere, quia per se stat. Vnde fit, ut si suppositum rationem subsistendi amiserit, nihil prohibeat quominus cum alio supposito, vel cum alia natura communicari possit. Immo tunc amittit rationem subsistendi, cum alteri subsistenti communicatur. Contrà, quàm diu retinet subsistendi actum, nulli rei communicari potest: estq; impossibile illud ad constitutionem alicujus rei concurrere. Iam igitur quæro, utrum hanc subsistendi rationem in mea definitione non expresserim? aut eadem in Boëtiana definitione non exprimatur? Quid igitur incommunicabilitatem in mea & Boëtiana definitione desideras? An vis ut in definitione bis eadem res dicatur? Atqui ad exprimendam per se subsistendi rationem, satis est primæ substantiæ mentionem fecisse. Quam ego in definitione mea retinui: nec ex Philippiana ejeci non sustentatum ab alio. Quid voluisti? ut definiens personam naturam subsistentem, individuam, intelligentem, nihilominus adderem non dependentem ab alio sustentante, non sine turpissima tautologia? Equidem quicquid stat per se, non dependet ab*

*alio*

*alio sustentante. Itaque ridiculus fuissem, tuique similis, si primæ substantiæ in definitione personæ incommunicabilitatem addidissem. Tui, dico, similis, qui cum fassus sis incommunicabilitatem subsistentiâ contineri pag: 49., ob idqúe definitionem tuam tautologiæ vitio laborare, non absimili huic, si quis definiat Petrum esse hominem rationalem pag: 35. utrumque tamen in eadem definitione ponere non erubuisti. Quasi verò ejusmodi insolens & molesta ejusdem rei repetitio, non vitio vertatur Logico professori. Et præsertim, qui petulanter in alios invehitur, indoctos asinos & Corydones eos appellare non dubitans, thesi 119. & disputationis tuæ paginâ 102. meque in Logico studio puerum vocans pag: 383. Tametsi non diffiteor meam in hoc studio tenuitatem. nihilominus turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum. Quid mirum est, me non adeò versatum esse in dialecticis, qui nec dialecticam profitear, nec ultra adolescentiæ meæ annos studia continuaverim. Et tamen haud auderem tam crassum errorem meum excusare, cui te patrocinari non pudet, novas nobis Logicæ leges fingentem. Etenim inquis, Ad tollendam obscuritatem, interdum ponendum & repetendum esse id, quod totum constituit. Equidem digna lex Logico professore. Quo fundamento nititur?* ne res *ais*, simpliciter methodo inservire videatur, sed hęc potiùs illis. *Scilicet res requirit ut idem in definitione bis dicatur. At obscuritas, pergis, tollenda est. Rectè. Ergo beneficio tautologiæ tollitur? Conturbat auditorem, quod sæpe repetitum*

*est. Obscurum igitur fiat necesse est. Arist: 5. Topic: cap: 2. Itaque potiùs omittenda incommunicabilitas, & vitanda tautologia fuit, ne turbetur auditor. Namque satis est substantia prima ad exprimendam, tum individui rationem, tum independentiam ab alio subsistente. Hinc igitur planum perspicuumq; est, cur vocem incommucicabilitatis otiosè positam, ex aliorum definitione expunxerim, in mea verò omiserim. Porrò, primæ substantiæ vocabulo usus sum potiùs, quàm individui aut incommunicabilis, quòd tritum & receptum sit in scholis, primæ substantiæ nomine completam substantiam intelligi, dicente auctore Categoriarum, primam substantiam primò, præcipuè, ac maximè subsistere. At individua substantia etiam ad incompletas substantias trahitur, Suarez disput: 34. sect: 1. num: 6. Hæc sunt, quæ a nobis de ratione suppositi disputata sunt. Superest personæ, cujus rationem & quidditatem videamus.*

## Caput Decimum.

### De personæ vi & ratione.

*Explicatū est quibus in rebus ratio & quidditas suppositi sita sit. Quo absoluto, non est cur in explicanda personæ natura diu immoremur, personâ a supposito hoc differēte, quòd intelligens sit suppositum. Eam ob caussam suppositum in ratione personæ habet se ut genus seu ut materia: intellectus ut actus & differentia, id est, persona nihil aliud est, quàm suppo-*

*suppositum intellectu præditum. Qua propter duo sunt, quæ minùs rectè abs te sunt dicta. Vnum, suppositum a persona non distingui nisi subjecti diversitate pag: 36. alterum, personæ formalem rationem in eo propriè consistere, quòd substantiæ individuæ incommunicabilitatem superaddat, pag: 33. Vtrumque alienissimum est a veritate. Et ut initium sumam a posteriori, quid minùs cum vero consentit, quàm formalem personæ rationem in incommunicabilitate consistere? quæ, te judice, propria est suppositi: inestq; personæ propter suppositum pag: 32. Atqui propriè formalis personæ ratio ea in re consistit, quæ personam a supposito secernit & separat. Id autem est intellectus. Quam ob rem intellectum ultimo loco in definitione collocas, strictioremq; differentiam vocas. At ultima differentia complet substantiam rei 7. Metaph: cap: 12. Ex his manifesta est prioris falsitas, nempe suppositum a persona non distingui subjecti diversitate. Siquidem intellectus, quo suppositum a persona discriminatur, vim & naturam subjecti sustinere nequit. Neque enim persona & suppositum de intellectu prædicatur, sed intellectus de persona & supposito. Quæ subjecto separantur, ejusdem sunt rationis & speciei. 10. Metaph: cap: 9. ut circulus æneus & ligneus. Vterque enim est circulus: neque variatur circuli ratio, quòd hic ligneus, ille æneus. Suppositum & persona aliam & aliam habent rationem. Ideo enim hæc persona, illud suppositum.*

*At excipies, suppositum a persona hoc differre, quod*

re, quod differt curvitas a simitate: quies a serenitate: tranquillitas ab æquabilitate. Curvitas enim in naso dicitur simitas 7. Metaph: cap:5.: & quies in aëre serenitas: æquabilitas in mari tranquillitas, 8. Metaph: cap: 2. Quæ omnia videntur differre subjecto. Primùm dico, aliam horum esse rationem. Quæ namque sunt commemorata, habent se instar formarum. Forma verò cum sit alicujus materiæ non simpliciter quid, per ablationem materiæ non potest intelligi. Hinc curvitas separatur a naso, at non simitas: quies ab aëre: æquabilitas a mari, sed nec serenitas ab aëre, nec tranquillitas a mari. Aliter se habet suppositum & persona, quia sunt separabilia, nec inhærent in alio ut in subjecto, aut in materia. Deinde natura est materia & non subjectum suppositi & personæ. Hinc licet enunciare naturam de supposito & personâ non licet autem suppositum & personam de natura, ut in accidentibus fit, & eis, quæ rationem formæ habent. Dicuntur enim ista de alio, ob idq; perpetuò prædicati locum tenent.

Cæterùm, quid illud est cum ais, substantiam primam rationalem ad materialem suppositi conditionem pertinere, & non ad formalem? Quid per materialem conditionem intelligis? Si subjectum? falsum. Si aliquid ad rationem suppositi assumptū, quod de ejus ratione non sit? fatemur rationale non esse de ratione suppositi, sed de ratione personæ: ideoq; cum certum quoddam suppositum definiat, non autem omne, materiale dici posse. Ejusmodi est æs in cir-

*in circulo aut in statua, ac omnes inferiorum conditiones. Non par est ratio substantiæ primæ, quæ a supposito separari nequit salvâ suppositi ratione, ut rationale. Neque ratio aut intellectus separantur a ratione personæ. Ergo vitiosa est illa tua argumentatio, quæ est,* Substantia prima rationalis tantùm ad suppositi materialem conditionem pertinet, & non ad formalem: ergo idem verum est de persona accuratè & abstractè considerata, quippe cujus suppositũ quasi genus est pag: 46. ad finem. *Hæc, inquam, vitiosa est tua argumentatio ob eandem rationem quam subjungis, videlicet quòd suppositum sit personæ genus. quippe quòd alia est speciei, alia generis ratio: speciesq; perfectior est genere. Contrahitur enim genus ad rationem speciei. Qua de caussa necesse est, ut quicquid in ratione generis includitur, idem includatur in ratione speciei. non contrà, quicquid de ratione speciei est, idem sit de ratione generis. Proinde futilis est illa tua enunciatio,* Quodcumque removetur a formali ratione suppositi, id quoque removetur a formali ratione personæ, *pag: 49. Quasi verò quicquid removetur a ratione generis, illud idem removeatur a ratione speciei. plus enim species in sua ratione continet, quàm genus. Hinc, exempli caussa, ab animalis ratione removemus intellectum, quem nefas est removere a ratione hominis. Itaq; rectius est posterius tuum enunciatum*, Et vice versa, quod additur & pertinet ad rationem

suppositi, id quoque pertinet & addendum est ad formalem rationem personæ. *eadem pag: 49. Id rectiùs dico, quia superiora in ratione inferiorum insunt, non contra inferiora in ratione superiorum.*

## Caput Undecimum.

### Quid de Adversarii definitione in genere sentiendum sit.

*Postquam vulgò receptam personæ definitionem defendimus, nec non confirmavimus, tempus est, ut quam nobis obtrudis, definitionem excutiamus & expendamus. Sed antequam singulas ejus partes examinemus, nonnihil in genere dicendum est. Est autem illud, te in tua definitione eadem ponere, quæ a nobis quoque posita sunt: ut facilè quispiam credere possit, non re, sed verbis nostram & tuam definitionem tantùm discrepare. Etenim natura, subsistentia, incommunicabilitas, quorum tu in tua definitione mentionem facis, in ratione substantiæ primæ comprehēduntur. Substantia duo significat, naturam & subsistentiam; prima exprimit incommunicabilitatem. nihilominus inter tuam & nostram definitionem, magnum est discrimen. Siquidem subsistentiam a natura dividens, illam in genere, hanc in differentia collocas: ac sic quæ a me primo loco & recto casu sunt collocata, ea tu ultimo & obliquo casu effers pronunciasq́ʒ. Quò fit, ut non tantùm figurâ dicendi, sed etiam reipsâ tua &*

*tua & nostra definitio plurimùm differat. Apparet enim te definivisse quippiam ex eorum numero, quæ vel insunt ut in subjecto, vel se habent ut actus ad potentiam, seu forma ad materiam. namq; horum eadem est definiendi ratio. nempe definimus accidens mentione facta subjecti 7. Metaph: cap: 5., & 8. Metaph: cap: 2.: & actum seu formam mentione facta materiæ, Cæsalpinus lib: 1. quæst. peripateticarum cap: 6. Suppositum & persona ex alio sunt rerum genere. videlicet ex eorum, quæ per se stant, nec dicuntur de alio. Quapropter personalitas tua, quam te definire profiteris pag: 38, est illa pars rationis personæ, quæ actus & forma dicitur.* Nam *personalitatem & suppositalitatem, pro actu & forma accipi, non obscurum est ex disputat: 34. Suaris, sect: 3. num: 20. Qua eadem disputatione ait, personalitatem esse de intrinseca personæ ratione & constitutione, quæ illam intrinsecè componat. At ejusmodi personalitas quàm ab instituto nostro sit aliena, te ipsum appello, profitentem apertissimè pag: 31. nobis negotium eße de persona pro substantia completa intelligente sumpta.* Nihil *igitur nobis cum tua personalitate. tametsi neque hujus rectam proponis definitionem. Cum tua definitio magis accedat ad rationem suppositalitatis, quàm ad naturam personalitatis; si modò detrahas intelligentis vocem. Suppositi actus est subsistentia incommunicabilis. Eam tu in genere ponis. Contrà personæ actus est intellectus, quem & obliquo casu effers, & ultimo loco collocas. Atqui in talibus definitionibus ob-*

bus observari solet, ut actus praecedat, & in recto casu efferatur: materia succedat, eaq; in casu obliquo. Cujus rei rationem habes apud Caesalpinum libro 1. Peripatetic. quaest:, cap: 6. sub finem. Quare definies suppositalitatem, quòd sit subsistentia incommunicabilis in natura: personalitatem autem, quòd sit intellectus in natura per se subsistenti. Ex quibus videre est, te neque suppositalitatem, neque personalitatem rectè definivisse. Suppositalitatem quidem non, quia definitio tua strictior est suo definito, persanalitatem autem, quia intellectum non in genere, sed in differentia ponis & collocas. Velim autem hinc illud animadvertas, ex hac ipsa tua definitione evidenter colligi, naturam de intrinseca & formali suppositi & personae ratione esse. Quandoquidem modica quadam verborum conversione, suppositalitatis & personalitatis definitio, in definitionem suppositi & personae transit. Quia suppositum dices esse naturam subsistentem incommunicabilem; personam hoc idem, si fuerit intelligens. Et est hujus ratio, quòd in ratione actus & formae non assumatur subjectum, sed materia. Ea enim re forma ab accidente discrepat, quòd in ratione accidentis subjectum, in ratione formae & actus materia assumatur. Conveniunt autem in eo, quòd utrumque insit, & sit inseparabile: sed alterum a materia, alterum a subjecto. Ista generatim monenda fuerunt: jam singula partes definitionis tuae inspiciendae sunt.

Caput

# Caput Duodecimum.

## Subsistentiam locum generis in definitione personæ sustinere non posse.

*Subsistentiæ locum primum in tua definitione tribuis. Quæ vox cum sit ambigua & non unius significationis, quæritur quid per subsistentiam designare volueris. Est enim auctore Suare, alia in abstracto accepta, alia in concreto. In concreto est, quæ rem subsistentem significat, aitq; Suarez hac significatione frequentissimè eam usurpari pro supposito. In abstracto sumitur, quoties rationem subsistendi denotat, Suarez dis:34 sect:1. num: 5. & 15. Hanc rursus patitur in generalem, quæ inhærentiæ & in existentiæ in alio sustentante opponitur, sect. 5. nu: 61. & specialem seu particularem, quæ solam hypostasin constituit, sect:1. num: 15. Quam igitur subsistentiam vis esse in definitione personæ? Si eam quæ rem subsistentem indicat? cur substantiam cum subsistentia, rem scilicet notam & perspicuam, cum ignota & obscura commutas? cur illam expungis, hanc substituis? Si verò rationem subsistendi intelligis? quid alienius est a supposito, quàm ut suppositum ejusmodi subsistentia sit? Ejusmodi enim subsistentia in eorum est ordine, quæ dicuntur de alio. Contra suppositum est, de quo dicuntur cetera omnia. Præterea subsistentia est de ratione substantiæ, si generatim sumatur, quà nimirum inhærentiæ opponitur, de ra-*

*de ratione secundæ, si particulariter, quà per se & actu subsistit, de ratione primæ. Esse enim subsistentiæ, proprium substantiæ est, Suarez dis: 31. sect: 1. n: 2. Verùm quid absurdius cogitari potest, quàm suppositum esse de ratione substantiæ, sive secundæ, sive primæ? Repetendum & illud est, subsistentiam esse actum suppositi, testimonio Suaris, & Fonsecæ. Atqui differunt pars & totum. Millitat & id pro nobis, suppositum esse incommunicabile: non ut quo, (utor scholasticis terminis,) sed ut quod. id est, non rem incommunicabilem reddit, sed ipsum est incommunicabile. Subsistentia verò contraria ratione dicitur esse incommunicabilis, quæ videlicet rem incommunicabilem constituat, cùm ipsa communicabilis sit; ut pote quæ est inseparabilis, & naturam perpetuò postulat, in qua consistat. Sic igitur statuendum est, subsistentiam cum sit de ratione suppositi, esse quoq; de ratione personæ, at non esse illius genus. licèt enim ad materiam personæ pertineat, materia autem sit genus, non tamen est illa tota materia, quæ genus personæ constituit, sed est actus illius materiæ: id est, pars rationis suppositi. Generis est in quid prædicari, at subsistentia de persona in quale dicitur. Hæc de subsistentia prima tuæ definitionis parte.*

## CAP: DECIMUM TERTIUM.

### Reliqua pars definitionis adversarii examinatur; in primis autem incommunicabilitas.

*Subsi-*

*SVbsistentiam consequitur incommunicabilitas naturæ intellectualis. In qua altera definitionis parte, duas proponis differentias; incommunicabilitatem nempe, & naturam intellectualem. Hanc Capiti subsequenti reservabimus: illam præsenti discutiemus. In primis autem considerandum est, cur incommunicabilitatem ad formalem personæ differentiam referas; cum non sit ultimus actus personæ. Videtur autem ea dumtaxat differentia esse formalis, quæ ultima est & specifica. At incommunicabilitas suppositi, non personæ, rationem complet. Quæ duo cum sint diversa, ut species & genus, necesse est aliam esse personæ, aliam suppositi specificam differentiam. Verùm proculdubio formalem dixisti, rationem habens alterius differentiæ, quam tu materialem vocas, id est, ut ego interpretor, aliunde quàm de intrinseca & formali personæ ratione deprompptam, licèt ultima sit in constitutione personæ. Statuis enim naturam intelligentē personæ subjectum. Subjectum autem est Ens actu; ob id intrinsecam & formalem nullius rei rationem ingreditur. quia ex duobus actu non est unum actu. Aristoles 7. Metaph: cap: 13. Iam cum ita sit, quæritur cur in incommunicabilitate formalem personæ differentiam constituas: siquidem cujuslibet rei unica sit differentia. Differentia enim est forma; forma autem unica unius rei.*

*Quod si excipias incommunicabilitatem esse formam subsistentiæ seu suppositi, quæ tibi synonyma sunt pag: 32., suppositum verò esse de ratione personæ: ac*

*næ: ac proinde incommunicabilitatem esse personæ differentiam, tametsi remotiorem; respondeo facta suppositi in definitione personæ mentione, non fuiße iterandam incommunicabilitatem: ut pote quæ in ratione suppositi contineatur. Sed nec dicendum esse differentiam personæ, nisi remoto personæ genere adhibito: quo tempore, nihil impedit plures in definitione adhibere differentias.*

*Verùm enimverò caussaris obscuritatem, cujus tollendæ caußâ, repetitam esse incommunicabilitatem. Sed velim scire, quam intelligas obscuritatem? si subsistentiæ vel suppositi? vox incommunicabilitatis neutrius rationem declarat; sed potiùs restringit & contrahit. ac proinde tantùm abest, ut obscuritatem vitaveris, ut hac ratione obscuriorem definitionem reddideris. Quis enim ob oppositam abs te incommunicabilitatem non cogitabit, te subsistentiæ vocabulo, quidpiam aliud intellexisse, quàm suppositum, antea persuasum habens, incommunicabilitatem esse de ratione suppositi? Aut, si per subsistentiam te suppositum innuere intelligat, de ratione suppositi incommunicabilitatem te exemisse & expunxisse? Contrarium ejus scilicet statuet, quod additione ista incommunicabilitatis subsistentiæ quæsivisti. Corruit ergo ratio pag: 38. abs te excusandæ tautologiæ caussâ allata; nempe additam esse incommunicabilitatem, ob non explicatam abs te suppositi & subsistentiæ rationem. Siquidem ne sic quidem explicasti: immo obscurasti. Etenim si quis dicat hominem esse animal sentiens,*

num-

*numquid potius rationem animalis non involvit & obscurat, quàm explicat & evolvit? Similiter si quis Petrum definiat esse hominem rationalem, an non naturam hominis obscuram & implicatam reddet? Equidem tali definitione, tum sentiens de ratione animalis, tum rationale de natura hominis, eximitur & excluditur: contrà quàm res se habet. Sed & Cajetanus, cujus caußâ incommunicabilitatem subsistentiæ seu supposito in definitione personæ addis, non cedet sententiâ, contendens aliquod suppositum esse communicabile: quin quod suppositum per incommunicabilitatem contrahas & restringas, tantò fortiùs instabit. Non enim restringuntur nisi universalia ad constituendam speciem.*

*Tautologiam longè superat ambiguitas; quam committis non restringens incommunicabilitatem, unde colligi possit, qua de incommunicabilitate verba facias. Namque multas incommunicabilitatis significationes recenset Suarez Disputat: 34. sect. 5.: quod tu quoque fateris, asserens suppositum ita esse incommunicabile, ut nonnullam admittat communicabilitatem pag: 34. Tot autem oportet esse incommunicabilitates, quot dantur communicabilitates. Eam ob caussam longè tua opinione deceptus es, incommunicabilitatis vocem esse clariorem, quàm individui, omnemq́ ambiguitatem tollere, pag: 34. Inspice locum Suaris modò laudatum, & rem aliter se habere comperies.*

*Postquam igitur monuimus vocem incommunicabilitatis esse multiplicem, ideoq́ fuisse restrin-*

*gen-*

*gendam & declarandam, videamus jam, quid per suppositi & personæ incommunicabilitatem, & tu velis, & reipsa intelligendum sit. Quare triplici ratione eam considerabimus, respectu subsistentiæ, suppositi, & personæ. Subsistentia, si in abstracto sumatur, nihil aliud est, quàm affectio naturæ, & actus substantiæ. Ex quo sequitur, nisi incommunicabilitas aliter sumatur, quàm pro independentia ab alio sustentante, nō esse incommunicabilem subsistentiam. Inhæret enim ut in subjecto, aut saltem ut in materia respectu naturæ; ut pars respectu substantiæ. Itaq; hæc subsistentia nō est incōmunicabilis: sed reddit rem incōmunicabilem: in genere, quà per eam stat, quominus inhæreat in alio, ut in subjecto; in specie, quà non dependet ab ullo sustentante. De qua postrema subsistendi ratione loquitur Suarez, dicens, eam essentialiter includere independentiam ab alio sustentante, Disp: 34. s. 4. n. 14. Idem ait subsistentiam, sive quâ inhærentiæ in subjecto opponitur; sive quà independentiam ab alio subsistente designat, non esse incommnnicabilem, sed rem incommunicabilem constituere, eadem Disputat: sect: 5. num: 61. Vehementer autem miror, te manifestam in tuis verbis nō animadvertisse oppositionem. quippe quòd statuere, subsistentiam esse incommunicabilem in natura intellectuali, est nihil aliud, quàm inficiari, esse incommunicabilem. Siquidem communicantur inter se, quorum alterum est in altero. Subsistentia ita inest in natura, ut ne separabilis quidem ab ea sit.*

*Sequi-*

*Sequitur suppositum; de cujus ratione & natura esse incommunicabilitatem, contendis magnopere. quæ cujus generis sit significas, quando ita scribis.* Vbi notandum est, quomodo illud incommunicabile esse, sit intelligendum, nempe non ita ac si in suppositum nulla omnino cadat communicatio, sed quòd non possit communicari cum alio supposito, possit autem cum alia natura & naturaliter *pag: 51. At si ad hunc modum incommunicabilitas in definitione personæ accipienda est, evidens est, perpetuò suppositum subintelligendum esse, hoc est, non simpliciter dicendum esse, personam, esse suppositum incommunicabile, sed cum ea appositione*, cum alio supposito. *Quæ ratio definiendi damnata est ab Aristotele 6.* Topic: *cap: 3. Inter locos enim, ex quibus cognoscitur non esse definitum ex prioribus & notioribus, hunc quoque commemorat, si in definitione adhibeatur ipsum definitum, ut certè adhibere necesse est in definitione suppositi, si nihil aliud est suppositum incommunicabile, quàm quod dictum est. Videtur autem nihil aliud esse, si incommunicabilitas denotat independentiam ab alio sustentante quod sustentans suppositum est. Formalis enim caussa suppositi hæc est, ad quam formalem caussam refertur a vobis incommunicabilitas.* Non est *quoque hoc loco silentio prætereundum, rationem incommunicabilitatis secundum etymologiam esse, non posse communicari; ut jurè hoc loco quæratur, quamobrem suppositum alteri supposito incommunica-*

 *bile*

*bile dicatur, cum frequentissimè occurrat suppositum conflatum ex pluribus suppositis. Verbi gratiâ, panis ex aqua & farina. At quidquid communicari potest, non videtur esse incommunicabile. Hanc difficultatem qui agnoverunt, excipiunt, suppositum non simpliciter esse incommunicabile, sed salvâ suppositi ratione, ut ex discursu Suarii apparet, dicentis,* Cum dicitur suppositum incommunicabile, intelligitur formaliter seu cum compositione; id est manens suppositum. Nam si amittat rationem seu complementum suppositi, id quod reliquum est, communicari poterit, saltem ut pars toti, vel comparti, *Disputat: 34. sect: 5. num: 59. Quod etsi speciosè dicitur, haud tamen scio an convenienter. perinde enim est ac si dicas, rem aliquam esse incorruptibilem, quòd integra manente corrumpi nequeat. Id autē nullus est qui ignoret, quia nihil corrumpitur nisi amissâ formâ. Similiter suppositum alteri supposito non potest communicari, quàm diu retinet suppositi rationem: idq; ob dictum axioma, ex duobus actu non esse unum actu, sed si duo fuerint potentiâ, 7 metaph: cap: 13. Ob quam caussam non solùm quâ sunt supposita, sed etiam quâ aliud, multa alia vendicant sibi hanc incommunicabilitatem. Nam neque ex aqua & farina conficitur panis, quàm diu utrumque retinet suam formam: quæ in supposito est ratio subsistendi: à qua incommunicabilitatem promanare dictum est: id est independentiam ab alio sustentante. Nam aliæ incommunicabilitates, quæ opponuntur*

nuntur communicabilitati, sive per identitatem, sive per unionem, realem, formalem, sive hoc genus aliis incommunicabilitatibus, etsi in supposito inveniantur, haud tamen ex aliqua suppositi propria ratione oriuntur.

Idem asseris suppositum ita esse incommunicabile, ut, etsi cum alio supposito communicari nequeat, possit tamen cum alia natura, in natura, & naturaliter. Ubi per communicabilitatem, vel dependentiam intelligis, vel unionem. Si prius? idem est dependere ab aliqua natura, quod dependere ab aliquo sustentante: quia nihil dependet ab alio, quin simul ab eo sustentetur: At suppositum, non dependet ab alio sustentante. Si posterius? aut essentialem, aut accidentalem. Si hanc? non video cur eandem communicabilitatem cum alia natura, personæ detrahas, pag: 54. Si verò essentialem? nihil minùs cum vero consentit. una enim forma non potest esse in diversis materiis; sicut nec una materia sub diversis formis. Quamquam in ejusmodi unione essent duæ formæ perficientes, quod tamen impossibile est. Unius enim rei, non nisi unica est forma perficiens. Quare nec suppositum sustinebit duas formas: id autem cum alii Scholastici, tum maximè Suarez inculcat Disputatione 34. Sect: 5. num: 56., inquiens, subsistentiam creatam, ita esse alligatam propriæ naturæ, quam terminat, ut nulli alteri communicari possit; seu suppositum creatum ita esse imperfectum, ut non possit alienam naturam assumere, aut terminare. Imperfectioni suppositi id tribuit, quod

tu perfectioni personæ adscribis; ut tuo judicio videatur, quò perfectius est suppositum, eò esse incommunicabilius. At cum divina sint omni ex parte perfectissima, necesse est, tantò minùs esse communicabilia, quantò res creatas superant perfectione. Proinde falsum est supernaturaliter id fieri, quod fieri nequit naturaliter. Nisi supernaturalia & divina malis fateri esse imperfectiora, quàm quæ sunt in natura. Quam difficultatem Scholastici vitare volentes, quod tu perfectioni personæ das & tribuis, malerunt imperfectioni suppositi creati attribuere: contrà quam ratio ipsa suadet. Etenim quò quæ sunt perfectiora, eò seipsis magis contenta; idque cernere est si expendamus rerum genera, quorum aliud est vitâ præditum, aliud eâdem vitâ carens. Vtrumque enim, etsi ita est incommunicabile, ut nisi amittat priorem speciem & formam, concurrere non possit ad alterius constitutionem, nihilominus impossibilius est ex viventibus aliquid constari & componi, quàm ex carentibus sensu. Ex his igitur planum perspicuumq́; suppositum non esse communicabile, nisi quà est subjectum, & accidentium receptaculum: qua in parte nihil est discriminis inter suppositum & personam.

Restat ultimo loco persona, cui tu videris peculiarem incommunicabilitatem attribuere. Ejus autem duo sunt genera. Vnum, personam esse incõmunicabilem aliis personis ejusdem naturæ, pag: 33. Alterum, alienam naturam, ob subjecti perfectionem, naturaliter in se recipere non posse, pag: 54. Pri-

54. *Prior incommunicabilitas ab incommunicabilitate suppositi, eò differt, quòd incommunicabilitatem personæ restringis, non ad suppositum, ut in ratione suppositi, sed ad personam; nec simpliciter ad personam, sed ad eam, quæ ejusdem esset naturæ. Quod quo consilio, quoq; judicio & prudentiâ facias, tute videris. Posterior, quòd cum ita incommunicabile sit suppositum, ut tamen naturaliter admittat alterius naturæ communicationem; persona non potest alteri naturæ communicari, nisi supernaturaliter. Quæ incommunicabilitas personæ, cum diversa sit ab incommunicabilitate suppositi, an non alia erit suppositi, alia personæ? certè diversa sunt, & alia atque alia, quorum diversa & alia sunt attributa. Quid igitur toties inculcas, personam & suppositum ἁπλῶς in formali ratione convenire, per formalem rationem incommunicabilitatem intelligens? Nam si eadem est utriusq; incommunicabilitas, cur personæ incommunicabilitatem coarctas ad personam, & quidem ejusdem naturæ? Videris enim statuere, non simpliciter personam esse incommunicabilem personæ, sed incommunicabilem ei personæ, quæ eandem participaret naturam. Quin cum addis incommunicabilem esse personæ, non excludis suppositum: alioquin nihil esset necesse addere, esse incommunicabilem personæ. nam quæ excludunt communicationem suppositi, excludunt & communicationem personæ; sicut, quæ hanc excludunt, excludunt & personæ ejusdem naturæ: sed non contrà, quæ excludunt communicationem*

onem personæ ejusdem naturæ, ea etiam excludunt personæ, aut quæ excludunt hujus, ea excludūt suppositi. quia, quæcumque dicuntur de superioribus, ea quoq; dicuntur de inferioribus, at non vice versa. Equidem alterum dicendum est, aut te vocem personæ, & verba ejusdem naturæ ineptissimè addere incommunicabilitati, quod haud diffitendum proculdubio erit; aut si id tueri volueris, necesse est, aliam esse personæ, aliam suppositi incommunicabilitatem: & consequenter ἁπλῶς in formali ratione convenire. Quod attinet posteriorem incommunicabilitatem, quæ videlicet excludit in naturalibus communicabilitatem personæ cum alia natura, quæri potest, num ex formali ratione personæ hæc ejus incommunicabilitas proveniat? an aliunde? Nam si per rationem personæ formalem stat, quominus in naturalibus persona cum alia natura communicetur, non potest per eandem rationem in divinis & supernaturalibus persona cum alia natura communicari. quia, quæ de natura rei sunt, ubique eodem modo se habent. Quod si dicas aliunde, id est, quòd finita sit persona creata, cur non idem dicendum est de supposito creato & finito? Sed cum tu hanc incommunicabilitatem personæ cum alia natura, ad perfectionem personæ referas, non videtur aliunde proficisci, quàm ex interna personæ ratione, ac proinde non minùs eam in divina persona dari, quàm in creata, ne si perfectione ista destituatur, rationem personæ amittat, quam suppo-

*supposita non habentes, non habent quoque personæ rationem.*

*Sed, utut verum sit, suppositum cum alia natura communicari posse, haud tamen erit verum, personam supernaturaliter cum alia natura posse communicari, majore existente in persona perfectione, quàm in supposito. Propter quam caussam ratiocinatio illæ tua, quæ tibi acutissima & firmissima videtur, ruit & evanescit. Ita enim ratiocinaris:* Si incommunicabilitas suppositi in naturis imperfectioribus & brutis, naturaliter admittit communicationem alterius naturæ: Ergo idem fieri potest incommunicabilitate personæ non obstante modo supernaturali. *Etenim nulla necessitas cogit, ut personæ similiter alteri naturæ cõmunicari possit, nisi communicabilem esse alteri naturæ pertineat ad rationem suppositi constituendam. Immo fieri potest, ut suppositum sit communicabile alteri naturæ, persona non item, ob novam, quæ accedit supposito formam, propter quam ex supposito fit persona. Dicuntur enim quædam de inferioribus, quæ de ratione superiorum non sunt: ideoq; superiora continentur in inferioribus: non verò inferiora in superioribus. Quod si opponas, nihil esse in superiorum ratione, quod quoque non sit in inferiorum ratione, respondeo me id libenter quidem fateri, attamen in his, de quibus loquimur, locum non habere. Quippe quòd aperte pronuncias, personam non posse naturaliter communicari cum alia natura: ut hinc manifestum*

 sit, i-

sit, istam incommunicabilitatem cum alia natura, non esse ex ratione suppositi. neque enim fieri posset, ut persona non eodē modo sit incommunicabilis. Namque si superiora sunt in ratione inferiorum, necesse est eadem esse de ratione inferiorum, quæcumque inveniuntur in superiorum ratione.

Erras quoque & in altera argumentationis tuæ parte, eâ videilcet, suppositum naturaliter communicari posse cum alia natura. Siquidem communicabilitas, de qua disputamus, non quælibet intelligenda est, sed essentialis. Quocirca ferrum igne candens, & aqua salsa, nec non poculum exauratum, nimirum exempla abs te allata, quorum unio est accidentalis, huc non pertinent. talis enim unio datur in personis, si persona est subjectum; cujus est subesse, & reliquorum fulcrum ac fundamentum esse. nam quidquid de essentia rei non est, accidens est. At nobis controversia est de unione plurium naturarum, quæ primitivè de eodem subjecto dicuntur. Vt cum vultis personam filii Dei duarum esse naturarum, quarum quælibet non denominativè, sed primitivè de filio Dei dicatur. scilicet, filium Dei esse deum, & esse hominem. At non licet dicere, hoc subjectum esse ferrum & ignem, sed ferrum ignitum: neque aquam & sal, sed aquam salsam: similiter poculum exauratum, non poculum & aurum. Non est igitur quod nobis hujus generis incommunicabilitatem obtendas: verùm ostendas duas naturas primitivè de supposito unico prædicari posse. atqui non potes, tum ob rationem subsistendi, tum

quòd

*quòd duæ formæ perficientes in eodem subjecto dari nequeant. Sed nos ab incommunicabilitate, ad alteram definitionis tuæ differentiam transeamus.*

## Cap: Decimum quartum.

## Naturam intelligentem ad materialem personæ differentiam non esse referendam.

A*Ltera differentia tibi est,* natura intelligens. *Eam materialem, & strictiorem appellas. hîc ita judico. Si universalem conceptum personæ definias, id est essentiam & quidditatem ejus, naturam non pertinere ad differentiam, sed ad genus. Contrà, intellectum esse quidem differentiam, sed non materialem: nihil enim minus intellectus, quàm materia personæ. Quod si actum personæ definias, facilè admittam naturam pertinere ad differentiam. eò, ut in superioribus disputationibus monuimus, quòd quæ in compositis locum generis occupant, ea in rationibus formarum differentiæ vim & naturam induunt. Inhærent enim ut & accidentia; formæ quidem materiæ, accidentia subjecto. Contraria ratio est intellectus, cujus est generis vices sustinere. Quem locum omnes differentiæ tuentur, quoties actus seu forma alicujus rei definitione evolvitur. Hinc apertum manifestumq; est, conjunctim sumptã naturã cum intellectu, sive actum personæ, sive integram quidditatem ejus definias, non fuisse ad materialem differentiam referendã. Atqui vereor,*

ne per materialem differentiam aliud intelligas, nempe partes totius, quæ ex mente philosophi non sunt de ratione speciei. Sunt enim aliæ partes formales, aliæ materiales. Illæ dicuntur, quæ secundùm specificam rationem requiruntur, etiamsi materiam in universali includant: seu quæ sumuntur a forma, æquè universaliter ac ipsum definitum: ita ut non minùs materia, quàm forma sint partes formales. Materiales verò partes, quæ quasi per accidens ad communem speciei rationem accedunt. tales sunt individuales, & omnes illæ, quæ contrahunt rationem definiti ad particularem materiam, quã ex vi suæ rationis non requirit, ut respectu statuæ, quòd ænea sit. At natura & intellectus non habent se ad personam, ut partes totius: id est, partes individuales, & contrahentes rationem definiti ad particularem materiam, sed ut partes essentiæ. Neque se habent ut subjectum, cum illa de reliquis, non reliqua de illis dicantur. Nulla igitur ratione potest intellectualis natura inter materiales differentias reponi. Eam ob caussam non materialiter, sed formaliter, seu ut genus & species differt suppositum a persona, contrà quàm cum multis aliis in locis, tum pag: 47. & 49. asseris. Ea enim quæ materialiter differunt, unam substantiam habent: Aristoteles 10 Metaph: cap: 9. ubi dicit materiam non facere differentiam, sed quæ in ratione est, contrarietatem.

Cæterùm cum dicis, naturam intelligentem esse strictiorem differentiam personæ, quàm incommuni-

*municabilitatẽ, verè dictum de intellectu fatemur, non de natura. Natura quippe pariter tam ad suppositi rationem, quàm ad personæ pertinet: at intellectus separat suppositum a persona. eapropter disjungenda sunt, quæ conjungis.*

*Quæ de differentia intellectus a ratione disputas, quicquid Scholastici hic aliter sentiant, existimo inter rationem & intellectum nullum esse discrimen, sed eadem est facultas rationalis, quæ intellectualis. ideoq; probare nequeo, rationalis vocem generaliùs interdum sumi, quatenus nimirum intelligendi vim abstractam a discursu significet. Sic enim persona ex ea tantùm parte esset, quà cognoscit absque discursu. At fac hominem absque discursu nihil cognoscere, num igitur ei personæ rationem negabimus?*

## Cap: Decimum quintum.

## Multiplicatis personis, multiplicari essentias individuas intelligentes.

*Ergo existente persona substantiâ individuâ intelligente, necessariò sequitur, multiplicatis personis, multiplicari substantias individuas intelligentes. Idem enim est persona, & substantia individua intelligens. at idem non potest multiplicari, & non multiplicari; quia contradicentes non sunt simul veræ. Igitur qui dicit tres personas in unica nume-*

*numero essentia, implicat seipsum contradictione, eodem tempere tres personas dicens, & non tres personas, sed unicam: Unicam individuam essentiam, & non unicam. Pariter enim ista se habent, atque si quis contendat, multiplicatis hominibus, non multiplicari animalia: aut multiplicatis individuis hominibus, Petro, Paulo, Iohanne, non multiplicari homines, non animadvertens hoc esse animalia rationalia, quod sunt homines; & Petrum, Paulum Iohannem, eße individuos homines. Eadem est ratio personæ, quæ nihil aliud est, quàm essentia individua & intelligens.*

# DISPUTATIONIS DE PERSONA PARS SECUNDA.

## *Vtrum definitio PERSONÆ in genere sumptæ, divinæ personæ conveniat, nec ne.*

## CAPUT PRIMUM.

### De materia & subjecto hujus alterius Partis.

*CVM duo sint quæ de persona adversus me disputas, unum, Quæ ratio sit & natura personæ in genere sumptæ; alterum, Vtrum tam ratio, quàm nomen personæ, divinæ personæ conveniat, duas hujus disputationis necesse habui, constituere partes. Quapropter superiori parte disputatum est de personæ ratione & quidditate. In hac autem altera parte, disputabimus de ratione & natura divinæ personæ. In qua primùm videbimus ea, quæ adversus me produxisti ostendentem, non minùs divinæ, quàm creatæ personæ, vulgò receptam personæ definitionem competere. Deinde ea expendemus, quæ attulisti pro defensione definitionis Iustino attributæ; defendentes nostra, quâ abs te impetita sunt.*

CA-

## Caput Secundum.

## In quo ad examen Capitis mei primi & secundi respondetur.

*Capite primo partis tertiæ disputationis meæ adversus Keckermannum, inter caussas, quæ me ad tractatum de persona impulerunt, hanc quoque esse dixeram, quòd gravissimus de Trinitate error, cognitione personæ vera, nullo negotio deprehendi queat: ideoq; mirari me vehementer, doctos alioquin viros, persuaderi sibi pati, tres personas in unica essentia consistere posse: cum eos minimè lateat, quamlibet personam requirere singularem essentiam. Hic tu Iacobe respondes, similiter vos vehementer mirari, me tantum theologum & philosophum, ut videri velim, non intelligere discrimen inter personalitatem, & singularitatem. Verùm si per singularitatem aliud intelligis, quàm essentiam singularem; per personalitatem aliud, quàm personam, quid mihi tu tantus philosophus inter personalitatem & singularitatem discrimen commemoras? Si verò essentiam singularem & personam, etsi hæc inter se differre fatear, tamen ea est eorum affinitas & conjunctio, ut alterum in alterius ratione reperiatur: immo, si essentia singularis fuerit intellectu prædita, est illa ipsa persona. Atque hoc est quod volo, inquiens, quamlibet personam requirere singularem essentiam: id est, esse ipsam essentiam singularem intellectu præditam. Ea caussa est,*

*cur uno multiplicato, aut non multiplicato, alterum multiplicetur aut non multiplicetur. Idem enim multiplicaretur, & non multiplicaretur, quod fieri non potest, ne implicetur contradictio. Nulla igitur est illa tua exceptio*, aliud esse quamlibet personam habere singularem essentiam; & aliud quamlibet personam habere sibi singularem & separatam essentiam, & non cum aliis communem, & quidem ita communem, ut ejus in se considerata singularitas, & individuitas non tollatur. *non tantùm enim quælibet persona habet singularem eßentiam, sed etiam habet sibi singularem & separatam & non communem aliis; cum idem sit persona & essentia singularis in eodem subjecto cõsiderata, quæ tu diversa constituis, absq; ulla comprobatione.* Nam *si in eodem subjecto fuerint, seu de eodem subjecto dicantur, reipsa distingui & separari nequeunt; sed intellectu & mente, quâ videlicet eßentia singularis, separato intellectu, latiùs pateat, quàm persona; & prior sit secundum intellectum essentia singularis, posterior persona: quippe quæ ad essentiam singularem intellectum adjungat. Neque tu inficiaris sic se rem habere in rebus creatis, asserens aliam esse rationem rerum divinarum. Vt hinc appareat, frustra te discrimen personæ & essentiæ, vel, ut verbis tuis utar, personalitatis & singularitatis urgere adversus me. Etenim si quam vim haberet, ne multiplicatis personis, multiplicentur singulares eßentiæ, eadem eßet ratio rerum creatarum, quam in di-*

*in divinis eße contendis. in quibus otiosè & absq; ullo fructu infinitatem essentiæ divinæ nobis obtrudis, quasi illa obstet, ne in divinis multiplicentur essentiæ, multiplicatis personis. Siquidem infinitas non tollit rationem personæ; hoc est, non obstat ne essentia divina singularis & intelligens sit persona. quod ipsum ad hoc requiritur, ut pluribus existentibus personis, plures quoque existant individuæ essentiæ. Scripturam verò contrarium revelare, faciliùs est pronunciare, quàm probare.*

*His dictis transis ad caput meum secundum, ubi cum dixissem, Philippi definitionem a Keckermanno allatam, esse rectam, colligis inde, me consequenter definitionem tuam probaturum. Sed cum tua definitio longè diversa sit, quî eam probare possum? nisi ea ratione, quòd in definitione tuæ personalitatis, ea omnia adhibueris; quæ in definitione personæ a Philippo commemorata sunt. aliter tuam definitionem probare nequeo, ob caussas superiori disputatione a me expositas. Ex eadem definitione Philippi expunxeram incommunicabile, seu potiùs contendebam, in definitione Philippiana, in qua individuum & incommunicabile posita fuerunt, alterum eorum redundare. Qua in re me errare scribis, confundentem cum individui ratione incommunicabilitatem. Atqui ego te ipsum errare dico, ponentem incommunicabilitatem in definitione cum ratione individui, & per se subsistendi. Sed videamus qua ratione ostendas, aliud eße individuum, aliud incommunicabile. Ais igitur, individuum ex eo*

dici,

*dici, quod ampliùs in species, sive plura ejusdem naturæ, non est divisibile: & experientiam testari, multa individua, individuitate retenta, amittere sæpiùs incommunicabilitatem, sive proprii suppositi rationem. Quo loco incommunicabile longè aliter sumis, quàm ego illud sumpseram: nempe pro suppositi ratione, quæ subsistentiâ constat, cum ego expungens ex definitione Philippiana incommunicabile, in significatione individui acceperim. Sed sive hoc modo, sive illo altero incommunicabile accipias, redundat in definitione Philippiana, in qua non minùs subsistentiæ, sub vocabulo non sustentati ab alio, fit mentio, quàm individui.* Nam quod *subsistentia sit suppositi ratio, apparet ex hoc ipso cap: 6., in quo ais, Aurum per resolutionem, suppositi rationem amisisse, eò quod propriam subsistentiam amiserit, atque ideo communicabile factum sit ex incommunicabili. Eodem capite sexto, pag: 45. ais, verissimum esse, idq́ te concedere, quando dico, generaliter nullam esse personam, sub quocumque genere consideretur, quæ non sit individua, verùm non retrò concedendum esse, omne individuum esse personam, vel suppositum. quod quorsum dicas, intelligere nequeo, nisi velis mihi affingere istam reciprocationem, a qua alienissimus sum.* Nam *& pag: 36. cap: 4. hoc ipsum mihi affingis, ex eo quòd dixerim reciproca esse, incommunicabile & individuum, colligens* me individuum, sive substantiam primam & incommunicabile statuere esse reciproca, vel planè idem. *Quo nihil minùs cogitavi, individu-*

*um non pro substantia prima tunc sumens, sed pro ratione singularis, aut certè pro re singulari abstracta a ratione subsistendi.* Hæc sunt quæ tu capite sexto disputas, excutiens ea, quæ primo & secundo capite partis tertiæ disputationis nostræ adversus Keckermannum disseruimus. Nam reliqua ejusdem capitis tui sexti refutavimus satis superq; variis in locis, in parte prima.

## CAPUT TERTIUM.

### Deo & nomen, & rationem personæ verè & propriè convenire.

DEo tam nomen, quàm ratione personæ, verè & propriè convenire, sequenti septimo capite conaris ostendere. Ac de nomine nulla lis est inter nos; nisi quis dubitare velit, utrùm propriè Deo tribuatur. quod te asserere video, non solùm addendo adverbia verè & propriè, sed etiam cum inquis, Secundum perfectissimum & propriissimum hujus vocis significatum. Illud quoque libenter fatemur, quod eodem loco commemoras: etsi vox personæ expressè Deo in scripturis non tribuitur, rem tamen ipsam tribui: idq; omnes concessuros non dubito, qui perpendunt quid in hac disputatione per personam intelligamus. id est, substantiam individuam intelligentem. quæ personæ significatio obtinuit apud scholasticos, & in qua in præsenti a nobis usurpatur, pag. 31. Quamquam tu videris statuere, nomen personæ in scripturis de Deo enunciari. ob quam

quam caussam non simpliciter inquis, personæ vocem in scripturis Deo non tribui, sed multis videri non tribui. Nam & capite tertio in eorum potiùs sententiam inclinas, qui primo cap: Heb: v: 3. ὑπόστασιν personam interpretantur. cum tamen rectiùs sentire mihi videaris paginâ 31, vocem ὑποστάσεως pro persona usurpari, cæptum esse a temporibus Athanasii. Quod te admonere potuit, potiùs cum Chemnitio, & aliis quàm plurimis eruditissimis viris, quàm cum Gravero & Hasenreffero de loco Hebræorum sentiendum esse: minimè his duobus posterioribus animadvertentibus, si ὑπόστασις cap: 1. Hebræorum pro persona accipiatur, filium Dei non habiturum eandem numerò cum patre essentiam. Quia character & hypostasis differunt. ὑπόστασιν autem pro substantia individua, usurpatam in Ecclesia esse a Græcis, testis es pag. 31.; quâ significatione personæ Ecclesiam quoq; Latinam usam esse, dicis ibidem. Sed de nomine satis; rationem intueamur. De qua hoc loco similiter cessare inter nos videtur controversia. Nam ut ostendas, rationem personæ verè & propriè Deo convenire, personæ ingredientia recenses, & ea in Deo dari enitêris probare. Sunt autem quatuor quæ commemoras, substantia, individuitas, intellectus, & incommunicabilitas. Quæ ipsa, & nulla præterea alia, ad constituendam personæ, in genere sumptæ, rationem & quidditatem pertinere non diffiteris. Sed cum in his consentiamus, in iis, quæ capite octavo de discrimine creatæ

*& increatæ personæ, disseris, mirum in modum discrepamus. Statuis enim, primùm unicam singularem Dei substantiam, secundùm rem, communem esse pluribus personis: contrà in rebus creatis, quamlibet personam, singularem sibiq́ propriam habere essentiam, nullo modo secundùm rem cum aliis personis communem. Deinde, personam creatam distinctam & separatam esse, nullamqúe intrinsecam creatas personas inter se habere connexionem: cum secus se habeant divinæ personæ. Tum mones distinguendum esse, inter rationem singulariter subsistentis, quæ sub conceptu primæ substantiæ accipiatur: & inter rationem incommunicabilitatis, quam conceptus personæ propriè exprimat. His addis & alias differentias a Chemnicio excogitatas. Interim quo ista & tu, & Chemnicius comprobetis, nullum argumentum a vobis allatum est. Itaque, quæ de discrimine divinæ & creatæ personæ narras, falsa sunt, & meram petitionem principii continent. Neque animadvertis, si persona in divinis est substantia, individua, intelligens, incommunicabilis, fieri non posse, ut plures sint personæ in Deo, quàm essentiæ. Quod autem attinet tertium discrimen abs te allatum, illud, non quid persona divina a creata differat, indicat, sed quid intersit, tua opinione, inter substantiam primam, & personam.*

CA-

## Caput quartum.

## Ad examen Capitis mei tertii respondetur.

*Tandē capite decimo examinas, quæ attuli capite tertio, ostendens nostrā personæ definitionem, divinæ personæ convenire. Inprimis autem probas, quòd personæ definitionem urgeam, illamq́ divinæ personæ congruere probem; at illud improbas, quòd modum attributionis excellentiorem, & eminentiorem in Deo negare videar. quod unde colligas, velim scire. Licèt enim contendam, personam esse substantiam individuam, intelligentem, nusquam tamen negavi longè excellentiori & eminentiori modo personam tribuendam esse Deo. Quæstio est, quid sit in Deo persona, non quomodo sit. cur igitur mihi affingis, quæ ne per somnum quidem venerunt mihi in mentem? Quin tu es, qui negas Deo excellentiorem & eminentiorem personam; immo multò viliorem tribuis, quàm rebus creatis. Est enim persona Dei, tibi modus quidam, aut simile quid modo, pag: 67. sub finem. At præstat substantia modis. Cum igitur in rebus creatis persona sit substantia; in Deo modus quidam: in Deo persona minus præstans & excellens est, tuâ sententiâ, quàm in rebus creatis.*

*Ex eo, quòd persona divina esset substantia individua, intelligens, intuleram, aut patrem, filium, & spiritum sanctum, non esse personas, aut esse sub-*

stantias individuas intelligentes. Hujus meæ collectionis consequentiam reprehendis, dicens, Boëtium & Philippum πρώτως definivisse creatā personam. In qua, quia formalis personæ ratio non datur extra mentem, quin simul sit cum ratione formali individui, non posse illam humano more, ad essentiam & individui rationem Dei applicari, sine ejusmodi vitiosa & falsa collectione. Hæc tu Iacobe. Sed definiverint Boëtius & Philippus πρώτως creatam personam; num ergo divina persona quidpiam aliud erit, quàm substantia individua intelligens? at hoc esse ipse docuisti. quæ igitur caussa est, ut multiplicatis personis, non multiplicentur in Deo substantiæ? Formalis, inquis, personæ creatæ ratio non datur extra mentem, quin simul sit cum ratione formali individui. Rectè. quid igitur? in divinis alia est personæ ratio? atqui neque extra mentem, neque in mente ullius personæ, sive illa creata, sive increata fuerit, potest dari formalis ratio, quin simul substantiæ individuæ rationem exprimat & significet. alioquin inter ea, quæ ingrediuntur & constituunt naturam & essentiam personæ divinæ, haud numerares substantiam. Non potest itaq; vitiosa & falsa esse collectio nostra: sed est recta & vera. nisi quoque falsa & vitiosa sit collectio in rebus creatis, in quibus ex multiplicatione personarum, non solùm colligi posse, sed etiam debere multa individua essentialia, fateris pag. 70, & pagina 69: dicens, pluralitatem substantiarum reciprocari cum pluralitate suppositorum: ab unaq; ad alteram infe-

ren-

*rendam rectè progredi. Ex quo commentum tuum, quasi Boëtius & Philippus non abstractam, sed concretam personam definiverint, præter formalem suppositi & personæ rationem, quidpiam aliud connotantem, evanescit. ut taceam in divinis personas non esse abstractas, sed concretas; ut ob hanc caussam, etiamsi Boëtium & Philippum concretam personam definivisse concederetur, falsa tamen & vitiosa non possit collectio nostra esse. At instas, naturam in rebus creatis communem esse multis personis per divisionem, quæ divisio cum in Deum nulla cadat, fore naturam Dei communem pluribus personis per indivisionem. In Deum nullam cadere divisionem & separationem, nimis quàm libentes fatemur: ideoq; unicâ Dei essentiâ existente, unicam quoque personam Dei esse urgemus. alioquin si plures Dei personæ constitutæ fuerint, plures quoque essentiæ Dei dandæ sunt. Tunc demum hac exceptione uti poteris, cum probaveris in Deo esse plures personas, unicam autem essentiam. At cum hoc ipsum nunc in controversiam veniat, non est cur somnia tua nobis narres.*

*Ad hanc eandem collectionem nostram convellendam, videntur quoque habere vim illa tua verba, quæ paginâ sequenti 71. ad finem scripsisti. Ea autem talia sunt.* Concedimus ergo personam divinitatis esse substantiam: sed personas divinitatis esse substantias, non concedimus: haud secus ac in metaphysicis largimur attributum entis esse ens: verùm non

concedimus attributa entis esse entia. Sic unum est ens, verum est ens, bonum est ens: non verò unum, verum, bonum sunt tria ὄντα. *Verùm probandum erat eandem esse rationem personarum in essentia, quæ est affectionum entis in ente. Affectiones entis sunt aliud ab ente: persona est illa ipsa essentia. Patet exemplo rerum creatarum, quid enim aliud est persona Petri, Pauli, quàm essentia hominis? Vnde coactus es concedere, in rebus creatis reciprocari suppositum & substantiam primam: pluralitatemq́; suppositorum consequi pluralitatem substantiarum.* Non *eadem est ratio affectionũ & entis, quia ens ad affectionem habet se ut subjectum: subjectum autem potest plures affectiones, si modò non ejusdem generis fuerint, suscipere atque sustinere. At inquies, personam esse modum substantiæ & entis, ideoqúe aut esse ipsã affectionem substantiæ & entis, aut simillimam affectioni.* Nugæ. *Suppositorum est agere, juxta receptum Scholasticorum canonem. Modus tuus nec agit, nec agere potest. Quid? non pudet te etymologiæ hujus vocis? aut immemor es tuæ illius incommunicabilitatis, quam tantopere crepas esse de ratione suppositi? cur igitur suppositum & personam, in eorum numerum refers, quorum est inesse in alio, ut in subjecto? Sed venio ad alia. Quò ostenderem definitionem personæ, competere divinæ personæ, hoc argumento usus fui, cui definitum convenit, eidem convenire definitionem. Sed quia videbam duo plerumque obesse, quominus omnibus iis tribuatur*

*defi-*

*definitio, quibus tribuitur definitum, quorum unum erat, si definitio non sit universalis, alterum, si sit æquivocum definitum, utrumque impedimentum, conatus sum amovere a nostra definitione. Æquivocum nomen personæ non esse, inductione demonstravi, nam cum Philosophus secundo Posteriorum, Textu 81. æquivocum definitum, illud esse dicat, quando individua, sub diversa specie definiti contenta, eadem non habent essentialia attributa, quorum ratione in uno aliquo, tamquam communi, conveniant, docui ibidem, & Petrum hominem, & Gabrielem angelum, & primam divinitatis personam, eße substantiam primam intelligentem. Universale verò distinxi in prædicatum & subjectum. Ratione subjecti vocavi, quando ita aliquid de aliquo dicitur, ut nihil sit subjecti, de quo non dicatur: Aristoteles appellavit* κατὰ παντὸς. *Ratione prædicati, quando ita de subjecto dicitur aliquid, ut & subjecti nihil sit, de quo non dicatur, & prædicati, quod de alio dici queat: Aristoteli est* καθόλȣ. *Iam definitionem nostram & de omni persona prædicari docuimus, & nihil esse præter personam de quo dici possit. Hæc ego latissimè disputavi capite tertio, partis tertiæ, adversus Keckermannum: Ad quæ tu respondes. Principiò autem concedis personæ nomen non esse æquivocum. Ex eo tamen ais non esse inferendum, esse exactè univocum, personam in analogo genere reponens. Quod quorsum dicas, non video. Meum erat ostendere, personam, etsi videatur quodammodo specie differre, cum alia humana, alia*

*angelica, alia divina sit, eadem tamen essentialia attributa habere, quorum ratione, omnes in communi personæ nomine conveniunt. Hoc autem cum satis sit ad declarandum, personam non esse nomen æquivocum, quo sine tu intrudis genus analogum? Sit, modò communem conceptum & definitionem personæ, abstractam ab utraque natura finita & infinita admittas, quod ipsum ego quæsivi, ostendens, definitionem nostram personæ, nullis non convenire personis. At ad analogū genus videris eò recurrere, ut collectionem nostram, ex ratione personæ deprömptam, enerves ac debilites. Inquis enim,* Vnde fit quòd quidem definitio omnibus tribuatur: quod verò quia non fiat modò planè eodem, non licet idem in omnibus inferre vel colligere. Cum modus attributionis varius tollat identitatem collectionis & argumentationis. *At identitatem cum modo attributionis confundis. Neque enim, quòd uni aliquid in majori excellentia tribuitur, quàm alteri, identitas rei idcirco tollitur. Id quod patet exemplo abs te allato de intellectu humano & divino. Qui, etsi longè excellentiori ratione sit in Deo, quàm in homine, eadem tamen ratio intellectus humani & divini est. Idem videre est ex* vita, & supposito, *quæ duo ipse commemoras hoc eodem capite ab initio, ut ostendas, etiam genera univoca aliis eminentiori ratione, quàm aliis attribui: vitam quidem homini, quàm bruto; suppositum personæ infinitæ, quàm finitæ. Verùm, si modus attributionis varius identitatem collectio-*

*lectio-*

lectionis tollit, neque in univocis licebit idem ex eadem ratione in omnibus inferre & colligere. Quod cum falsum sit, apparet qualitatem, identitatem non tollere.

Ad ea verò, quæ de universalitate definitionis nostræ diximus, respondes nihil contra vos facere, quasi ego ea contra vos disputem, & non potiùs ostendam personam nostram esse universalem, sive quà spectet definitum, sive definitionem. quod cum tu concedas, admittens omnem personam esse substantiam primam intelligentem, & quidem ita ut de nullo alio prædicari queat substantia prima intelligens, præterquam de persona, acquiescimus & gaudemus idem te nobiscum sentire, modò in proposito constans esse velis, nec ad distinctionem creatæ & increatæ personæ, quod sæpius facis, recurras. Verùm ais, inde non inferri quòd sint planè idem, id est persona & substantia prima intelligens. Ego verò mirari non possum, cur definitum & definitio non sint eadem. Quid aliud est definitio, quàm essentiæ explicatio? Cur igitur non idem est persona & substantia prima intelligens? tametsi nescio, qua de caussa eo nomine controversiam mihi moveas: cum ego non illud disputaverim, utrùm persona & substantia individua intelligens sint idem, hoc est definitio cum suo definito; sed, personæ definitionem esse omni ex parte universalem. Et tamen videamus quid in contrarium afferas. Proprii, inquis, definitio dicitur de subjecto æquè ut proprium, & contra: inde verò non statim est inferendum, proprii definitionem

*onem esse ipsius subjecti definitionem.* Nihil ad rem *Iacobe. Etenim hâc instantiâ non probas, aliud eße secundùm rem definitionem, aliud definitum. id est, non definitionem cum definito confers, sed definitionem proprii cum definitione subjecti. Quid enim mirum est, definitionem proprii, non eße ipsius subjecti definitionem, cum aliud sit proprium, aliud subjectum? Sed vereor ne aliud volueris hâc instantiâ: nempe ostendere definitionem personæ, & personam non esse idem, idcirco, quòd definitio personæ de omni persona dicatur, nec præterea de ullo alio; siquidem definitio proprii non minùs de suo subjecto prædicetur, nec de ullo alio, quàm ipsum proprium; & tamen non idem esse subjectum cum suo proprio; eò quòd definitio proprii, non idem sit cum definitione subjecti. Quæ mens verborum tuorum si ea est (nam aliam divinare nequeo) apparet te statuere, me ex eo, quòd dicam personæ definitionem de omni persona prædicari, nec de ulla alia re, quàm de persona, velle colligere, idem esse definitionem cum definito. Cum apertissimum sit, me ea ratiione, non identitatem definitionis cum definito, sed univarsalitatem definitionis personæ, evincere studuisse. Pergis,* sic personalitas ejusq; definitio, nulli alii tribuitur, quàm substantiæ primæ intelligenti: verùm non propterea idem est ἁπλῶς cum ipsa. Siquidem non rectè dicitur in abstracto, substantia prima intelligens & personalitas; vel contrà: Sed in concreto, est persona; vel contrà. *Primùm personam cum personalitate*

*litate commutas; deinde vocem* tribuitur, *non in ea significatione accipis, in qua significatione nos sumimus, cum dicimus, aliquid de aliquo prædicari, aut dici. Siquidem ipse fateris, personalitatem de substantia prima intelligente non prædicari, neque dici, & contrà: & tamen asseris, personalitatem ejusq́; definitionem nulli alii tribui, quàm substantiæ primæ intelligenti. Mirum igitur non est, personalitatem, licet nulli alii tribuatur, quàm substantiæ primæ intelligenti, cum substantia prima intelligente non esse idem, cum non dicatur de substantia prima, & vice versa.*

*Ad extremum commemoras responsionem meam ad finem capitis tertii, a me, ad exceptionem quorundam, allatam. quæ fuit, frivolum & nugatorium esse, substantiam aliter de Deo dici, atque de angelis & hominibus, quòd horum creata sit, illius increata. ubi dicis, nostram potiùs responsionem esse frivolam & nugatoriam. idq́; ideo, quia in nulla fundetur ratione. licèt enim substantia uno conceptu in mente repræsentetur, & secundùm illum definiatur; fieri tamen illud sine respectu ad substantiam creatam & increatam. Quæstio est Iacobe, utrùm substantiæ ratio eadem Deo, angelis, & hominibus tribuatur, nec ne, cum Dei substantia increata sit, angelorum & hominum creata? Hoc, inquam, quæritur. Respondeo ego, creatum & increatum non pertinere ad rationem substantiæ, ideoq́; eam non variare. Hoc idem tu asseris, dicens, tunc cum substantia uno conceptu in mente repræsentatur,*

tur, & secundum illum definitur, fieri id sine respectu ad substantiam creatam & increatam. Quibus in verbis an non eandem rationem affers, quam ego attuleram ad probandam meam responsionem? Quomodo igitur & responsio mea frivola & nugatoria est; & ratio in qua fundatur nulla? At inquis, aliud esse substantiam definitivè & in se considerare; aliud eandem subjectis speciebus, vel veris & univocis, vel secundum quid, & analogicè ita dictis tribuere, & in illa attributione speciem cum specie conferre. Atqui verba sunt Iacobe, præterea nihil. Cur enim ista distinguas non video. Sit quod dicis, dum modo definitio ex æquo omnibus sub definito contentis competat.

## CAPUT QUINTUM.

## De definitione personæ divinę, a Iustino, ut vulgò arbitrantur, tradita.

ANtequam ad ea venias, quæ a me disputata sunt adversus definitionem divinæ personæ, falsò Iustino attributam, conaris evincere capite undecimo, personam in divinis esse modū, seu quiddam modo simile, in excellentiori tamen ratione, quàm in rebus creatis est modus. Verùm qua ratione id evincas & ostendas, videre non possum. Quin contrarium ex tua disputatione apparet. Nam si modus cum essentia collatus, quod tu ipsum asseris, importat prius & posterius, divina persona non potest esse

*modus: quippe quòd non est in Deo prius & posterius. Neque te juvat exceptio tua, personas divinas, modos divinæ essentiæ dici posse, si modus per analogiam & proportionem in summa eminentia, omne prius & posterius, omnem compositionem & imperfectionem excludens, sumatur. Nam hoc nihil aliud est fingere, quàm modum non esse modum, qui & compositionem ac imperfectionem inducit, & prius ac posterius necessariò. Posteriora enim sunt ea omnia, quæ insunt in alio, ut in subjecto; sed & imperfectiora: arguuntq́ rei compositionem ex subjecto & affectionibus. In eodem errore versatur Iustinus, statuens modum sine principio, qua de re adversus Keckermannum disputatum est; & infra adversus te disputabitur. Vtut est, probandum tibi erat, personam in divinis esse modum. Quod tu adeò pro concesso sumis, ut audacissimè dicas, suppositum sive subsistentiam, sive in specie personalitatem, in abstracto & formaliter sumptam, in rebus creatis modum esse, esse extra omnem controversiam. Cum non tantùm hoc sit controversum, sed etiam manifestè falsum. Sed nos ad tuam meorum confutationem, jam accedamus.*

*Capite sexto partis tertiæ, reprehendens in genere definitionem Iustinianam, hoc argumentum attuleram, quòd cum omnia inferiora superioribus, & specialia generalibus contineantur, Iustiniana definitio, definitione personæ generali non comprehendatur. Modum enim non esse substantiam, quin ab hac distingui. Hoc meum argumentum refellens,*

*lens, inquis cap: 13. Iustinianam definitionem non propterea esse falsam, quia generali personæ definitione non comprehendatur: sed non comprehendi, quia generalis personæ definitio non sit accurata: quippe quæ non tantùm formalem rationem personæ, sed etiam ejus proprium & perpetuum subjectū & naturam complectatur. Quæ tua ratio futilis est. Fingis enim nobis aliud genus personæ, quàm illud est, de quo in hac disputatione agimus. hoc est, quippiam aliud, quàm substantiam individuam intelligentem.* Nam de hac disputari *pag: 31. te confessum esse supra non uno in loco monuimus. Verùm nihil alienius est a substantia individua, quàm eam habere subjectum: quæ ipsa subjectum est.*

*Præterea ais, canonem nostrum de illis rebus loqui, quæ propriè genera habent: ex quorum numero modos substantiarum excludis, tribuens genus essentiam habentibus: quam modi distinctam non habeant ab illis, quorum modi dicuntur. In qua tua exceptione pro concesso sumis, personam esse modum substantiæ: nec genus ullum habere: ac denique essentiam distinctam ab alia re. quæ omnia falsa sunt. primum, quòd modi substantiarum ingenium eorum habeant, quæ in alio insunt, ut in subjecto. Secundum, quòd persona sub ratione suppositi contineatur, quam ob caussam pag: 32. subsistentiam pro supposito sumptam generis locum sustinere, non dubitasti dicere. Tertium, quòd, nisi essentiam personæ habeat distinctam ab alia re, definitionem habere non possit distinctam & separatam. Definitio enim*

nim est notificatio essentiæ, juxta Philosophum 2 Posteriorum cap: 10.

Vltima est ratio tua, Deo & creaturis nihil commune, ut genus univocum dari posse. Inter finitum enim & infinitum, nullam ferè intercedere proportionem. Sed, si vera sunt quæ dicis, cur ibidem pag: 83. admittis communem conceptum & definitionem suppositi & personæ, abstractam ab utraq; natura, finita & infinita? an non satis est ad constituendum genus univocum, communem dari conceptum & definitionem suppositi, & personæ finitæ & infinitæ? aut saltem esse aliquam proportionem inter finitum & infinitum, licèt non quâ talia?

Eodem capite sexto meæ disputationis adversus Keckermannum dixeram, dubitari posse, an in Deo sive Dei eßentia sit aliquis modus. At hæc respondes, cum res sit certa, non esse cur dubitem. Ego verò dico nihil esse incertius. De re non de nomine litem moveo. Quod autem ais modos entis, nempe unum, verum, bonum, Deo tribui, respondeo, hæc omnia ad accidentia esse reducenda. Nec est quod objicias, sub Ente contineri substantiam & accidens: Ergo cum unum, verum, bonum, opponantur Enti, necesse esse, ut opponantur quoque accidenti. Accidens enim consideratur vel quâ est Ens, & tunc unum, verum, bonum, distinguuntur ab accidente; vel quâ inhæret in alio ut in subjecto, quæ propria est ratio Accidentis, & tunc non opponuntur, sed sunt idem, dicuntur enim de alio, & sunt in alio. Itaque accidens, si consideretur in sua ratione, vide-

tur quodammodo opponi Enti: ut verum sit illud Aristotelis, Accidens prope accedere ad non Ens. Quasi enim solo nomine accidens constat 6.metaph. cap:2.

Ampliùs instiți, ut concedatur modum esse in Deo, concedi tamen non posse, personam divinam esse modum. Caussa, quòd modus Keckermanno sit non ens, persona verò Ens sit. Ad hæc tu, modum a Keckermanno dici Non ens, licèt durum videatur, excusari tamen poße, pro ut Ens, & modus ejus universalis distinguuntur. Sed quocumq; te vertas, nisi ostendas ad eum modum personam se habere, personam non potes modum constituere. Cætera quæ disputas, nimirum, utrùm præter accidens & substantiam sit tertium, parum aut nihil ad hanc disputationem nostram conferunt: ideoq; in præsentia ea linquo. illud tantùm moneo, eße per se, & inherere in alio, contradictoriè opposita esse. Et alterum, me non videre quid absurdi sit, accidentis esse accidens. nam tunc accidens, cujus dicitur esse aliud accidens, non consideratur ut accidens, sed ut Ens seu res. Neque tibi moveo litem de mente illius definitionis, Accidens esse, quod potest adesse vel abesse stante subjecto. tametsi existimo, nihil obstare, quominus accidens in dicta significatione sumptum, opponatur substantiæ, si substantia accipiatur pro essentia, quod familiare est philosopho.

## Caput Sextum.

Defenduntur ea ab impetitione Adver-

versarii, quæ capite 7. partis tertiæ, ad ostendendum personam non esse modum, nec relationem, allata a me fuerunt.

*Ratio, qua usus sum ad ostendendum, personam non esse modum, desumpta a me fuit ex definitione modi a Keckermanno allata: definiente modum existentiæ, esse relationem ad existentiam Dei accedentem, unde persona nominetur. Hinc ita ratiocinatus sum, Modus in divinis est relatio, Persona non est relatio, Ergo persona non est modus. Major erat Keckermanni. Minorem firmavi axiomate Aristotelis, dicentis, sub eadem divisione oportere esse genus & speciem, 4 Topicorum, cap: 1. Tex: 4. Iam persona est in genere substantiæ, per se subsistens: relatio in genere accidentis. Hæc erat prima ratio Minoris. Ex quo primùm apparet, malè te meam rationem resolvere. Ac primùm in eo erras, quòd rationem, quam ad confirmandam consequētiam principalis syllogismi attuleram, ad comprobationem Minoris trahas. Atqui ego, cum dico, Quibus genus non attribuitur, nec speciem ullam attribui, non ad ostendendū, personam non esse relationem, protuleram, sed curex eo, quòd persona non sit relatio, consequatur, non esse quoque personam modum. Verba mea ita se habent.* Ita enim probabimus personam non esse modum, si probaverimus, non esse relationem; eo posito & concesso, quòd modus sit relatio. Quibus genus non

atribuitur, nec ſpecies ulla. *Deinde erras in eo, quòd proſyllogiſmos Minoris, pro quæſtionis argumento accipias. Vnicum enim argumentum, ad oſtendendum perſonam non eße modum, eſt allatum, cætera Minorem principalis mei argumenti ſpectant. Hæc de reſolutione meæ rationis dicta ſunt. Iam quomodo ſolvas principale meum argumentum, conſiderandum eſt. Reſpondes igitur, Majorem non eſſe univerſalem: quippe quòd non omnis modus ſit relatio. Atqui hac de re non mecum agas, ſed cum Keckermanno. Quamquam ſufficit, modum in Deo a vobis ſtatui relationem. Itaque ſi conſideraſſes ſtatum quæſtionis, proculdubio in Majore propoſitione nullum effugium quæſiviſſes. Vera enim eſt Major, ſi ad hunc modum ratio proponatur, Modus in Deo eſt relatio, Perſona divina non eſt relatio: Ergo Perſona divina non eſt modus. Quod ſi & hic dicas, Majorem non eſſe univerſalem, ſcire debes mihi rem fuiſſe cum Keckermanno: penes quem culpa ſit malè definiti modi. Vbi illud quoque attendendum eſt, Keckermannum non de quovis modo loqui, ſed de modo exiſtentiæ. Quod attinet meam Minoris probationem, ad Majorem reſpondes, non eſſe idem, ſub eadem diviſione eße, & eſſe in eodem genere & categoria. Qua in re non videris conſuluiſſe Ariſtotelem, apud quem in prædicto loco nihil aliud eſt, in eadem diviſione eſſe genus & ſpeciem, quàm in eadem claſſe ſeu categoria eſſe. Poſtquam enim dixiſſet, Videndum eße, an non in eadem diviſione ſit genus & ſpecies, mox ſeipſum declarando ſubjungit,*

ſed

sed alterum sit substantia: alterum quale: vel alterum sit Ad aliquid: alterum Quale. Veluti nix & cygnus est substantia: album verò non est substantia, sed Quale. quapropter album non est genus nivis, nec cygni. *Et mox:* Et ut universaliter dicam, sub eandem divisionem oportet & genus & speciem cadere. Sive enim species sit substantia, etiam genus: sive species sit quale quippiam, etiam genus est quale quippiam. veluti si album est quale quippiam, etiam color. *Hæc Iacobe admonere te poterant, sub eadem divisione esse, Aristoteli esse, esse in eadem Categoria. Quæ te Logicum professorem ignorare turpe est. Quare non est necesse, ut ad instantiam abs te allatam respondeam. Quæ etiam nihil ad rem facit. non enim de eo controversamur, utrùm recta nec ne divisio sit illius rei, cujus partes seu species in diversis consistant prædicamentis, quò tu instantiam tuam dirigis, dicens, nullam esse consequentiam, si quis adhunc modum argumentetur; Substantia & accidentia comprehenduntur diversis generibus: Ergo Ens perperam ita dividitur.*

*Altera ratio Minoris meæ principalis Syllogismi: Relata sunt, quæcumque hoc ipsum quod sunt, aliorum respectu sunt. Persona hoc ipsum quod est, aliorum respectu non est. Ergo persona non est relatum. Ad quam rationem respondens ais, me confundere relationem cum relatis. Nec diffiteor. Cum enim relatio in divinis, pro persona sumatur, non po-*

 *test*

test esse ratio referendi, sed res ipsa, quæ refertur ad aliud. Hæc autem est relatum. Addis & aliam responsionem, quæ est, regulam de relatis, in genere relatorum prædicamentalium locum habere, non autem in relatis transcendentalibus, pro concesso sumens, personam divinam, inter relata transcendentalia esse referendam. At prædicamentalia ea sunt relata, quibus prædicamentalium relatorum definitio competit. Competit autem divinis personis, Patri & filio, quia hoc ipsum, quod sunt Pater & filius, aliorum respectu sunt. Sunt igitur prædicamentalia relata in divinis, Pater & filius.

Vltima ratio ejusdem Minoris meæ principalis syllogismi talis est. Relata per sua correlata definiuntur, juxta illud Aristotelis, Necesse est, ut in alterius definitione comprehendatur & alterum. At persona per suum correlatum non definitur, quippe quòd nullum habeat. Ergo persona non est relatū. Hîc similiter ais, me relationem cū relato confundere, non attendens, nos de persona loquētes, relationis nomine non ipsam rationē referendi, sed rem, quæ ad aliud refertur, intelligere. Cujus ratio cum sit in respectu ad aliud, sine correlativo definiri nequit. Prout enim res est, ita definitur. Insuper scribis, relationem non tantùm per correlativum definiri, sed etiam per subjectum, relatum & correlatum, fundamentum & terminum: quæ omnia ego confundam. Hæc scribis: sed nullo fine. quasi ego præcepta de relatis tradam, ut necesse sit me ea omnia commemorare, quæ in cognoscenda relato-

rum

*rum natura eßent observanda. Atqui aliud ago, nempe personam non esse relatum ostendo, assumens ex definitione relatorum certam conditionem, sine qua relata consistere nequeunt. Diversa est igitur ratio alicujus rei constituendæ & evertendæ. ad illam requiruntur omnia requisita: ad hanc satis est unum ex illis submovere.*

## Caput Septimum.

### Respondetur ad Caput decimū sextum, in quo conatus est Adversarius refellere rationes meas, ostendentes, in Deo nullam esse relationem ejus generis, cujus generis est in rebus ex essentia sua procreantibus.

*Capite octavo partis tertiæ disputationis meæ adversus Keckermannum, aliquot argumenta produxeram, ostendere volens in Deo nullam esse relationem ejus generis, cujus generis est in rebus ex essentia sua procreantibus. Prima ratio fuit, Omnem relationem, ut a magistris didicimus, requirere fundamentum seu terminum a quo, & terminum ad quem. Atqui in Deo nullum esse fundamentum seu terminum a quo: Ergo non esse quoque relationem. Assumptionem probavi ex eo, quòd essentia Dei, quam Keckermannus fundamentum esse voluit, fundamentum esse nequeat. Contra hæc tu. Primùm, Neminem vestrum affirmare, relationem in Deo esse ἁπλῶς ejus generis, cujus sunt crea-*

*aturarum in Categoria τῶν πρός τι. Idq; ideo, quòd omnia ea, quæ de Deo, vel absolutè, vel relatè prædicantur, sint extra prædicamenta. Deinde, in relatione prædicamentali, præter fundamentum & terminum, etiam subjectum, relatum & correlatum considerari & distingui debere, minimè autem confundi, apertè me reprehendens quòd duorum tantùm mentionem fecerim. Itaq; quod dixerim, me a magistris didicisse, omnem relationem duo requirere, terminum a quo, & terminum ad quem, seu relatum & correlatum, magistros meos, quâ scientiam logicam, indoctos Corydones, in thesibus autem tuis, asinos appellas. Quod attinet igitur statū quæstionis, non ille est, utrùm in Deo aliqua sit relatio ad categoriam τῶν πρός τι pertinens, quod tacitè mihi affingere videris, dicens, neminem vestrum esse qui id affirmet; sed est, talem non esse, qualis est in rebus ex essentia sua procreantibus, Hoc est, Deum ex essentia non generare, ac proinde hujus respectu non dici patrem, & consequenter non esse relationem ejusmodi. Id quod ex sequentibus rationibus meis liquidò patet. Hæc de statu quæstionis. Vbi illud monendum est, me in Deo non simpliciter negare relationem, cum concedam esse patrem tum filii, tum nostrum; sed negare secundum quid, modo scilicet supra scripto. Cur autem Iacobe, Deus quâ pater est, ad Categoriam τῶν πρός τι non sit referendus, nullam justam caussam video: cum non minùs pater in respectu ad filium sit, quàm in*

*rebus*

*rebus ad Categoriam relatorum pertinentibus. Nā quod ais, Deum supra omnia prædicamenta poni, ea in re plurimos contrarium sentientes habes. Et ut e multis paucos recenseam, insignem theologum & philosophum, Petrum Martyrem Vermilium, Florētinum, in commentariis in primum Ethicorum Aristotelis cap. 6: nec non Nicolaum Taurellum, præceptorem quondam meum, in philosophiæ Triumpho de rerum principiis: Rodolphum Goclenium, Philippum Melanchthonem in Logicis, Franciscum Tidicæum, qui dicit, propterea pono Deum in Categoria substantiæ, quia Deus est ens, & tale ens, de quo dialecticè aliquid docere & discere possumus, formando de Deo propositiones. Quem locum vide apud Rodolphum Goclenium in Disputatione undecima Metaphysicarum Disputationum. quo loco idem Simonem Simonium sentire, & Ioachimum Perionium lib: 1. Dialectices, demonstrat. Nec mirum. Deum enim nō alia ratione in substantiæ prædicamento collocamus, quàm rationem substantiæ ei tribuentes. namque quia per se subsistit, seu est Ens per se subsistens, substantia est. ut nihil mirer Petro Ramo rem impiam videri, si quis Deum ex prædicamento substantiæ excludat. Quid enim aliud est Deum ex prædicamento substantiæ excludere, quàm Deo definitionem substantiæ negare? id est, negare Deum esse Ens per se subsistens?*

*Iam cum ais solvens rationem meam, magistros qui me instituerunt, quâ scientiam logicam, esse indoctos Corydones & asinos, eò quòd dixerim,*

*a magistris Scholarum me didicisse, omnem relationem requirere duo, fundamentum seu terminum a quo, vulgò dictum relatum, & terminum ad quem, vulgò correlatum, in eo insignis audacia tua est, nequid pejus dicam. An non legisti Zarabellam in tabulis prædicamentalibus, ad hunc modum de relato disserentem,* Duorum autem relativorum, alterum vocatur fundamentum, alterum verò terminus; fundamentum vocatur illud, a quo denominatur relatio; ut si respectum, qui est inter dominum & servum, appellemus dominium, dominus est fundamentum relationis, servus verò terminus; quod si eundem appellemus servitutem, servus erit fundamentum, dominus autem terminus. *Hæc Zabarella Logicus præstantissimus. Num igitur ille tibi indoctus Corydon, & asinus? Non nescio hæc ab aliis aliter intelligi. Verùm quid opus absoluta relatis miscere? Nam cum relatorum vis & natura sit in respectu ad aliud: utpote quorum essentia nihil aliud est, quàm ad aliquid modo quodam esse affectum, Categoriarum cap: 7.; duo ad constituendum relatum satis sunt. quorum unum est, a quo relatio incipit; alterum in quo desinit. illud relatum, hoc correlatum dicitur. Cætera quæ adsunt, relatis, quâ relata sunt, accidere dicuntur. Dicuntur autem accidere ea omnia, quibus demptis, nihilominus unum ad aliud refertur. ut servus refertur ad dominum, demptis aliis omnibus, quæ accidunt domino: veluti bipedem, & aptum ad discendum; & homi-*

*hominem esse, Categoriarum cap: 7. Quocirca cum de relatis loquimur, eaque inter duo versari dicimus, duorum nomine ea sunt intelligenda, quæ de essentia relatorum sunt: non autem quibus demptis, relati ratio nihilominus manet. cujus generis est subjectum: & quidquid per se absolutum est: nec in respectu ad aliud ejus essentia & ratio consistit. Nam hisce sublatis, ratio & respectus ad aliud quominus maneat, nihil obstat. Refertur enim servus, non ad hominem sed ad dominum: & ala non ad avem, sed ad alatum. At domino & alato sublato, non ampliùs est ala & servus. Qui igitur relatum inter duo versari dicunt; quorum unum fundamentum vocetur, alterum terminus; aut fundamenti nomine relatum, termini correlatum intelligunt; aut non satis rectè loquuntur. Namque illi ipsi, qui fundamentum a relato, terminum a correlato distinguunt, fatentur relationem inter relata versari, non inter fundamentum & terminum ab aliis acceptum. Audi Keckermannum,* Quod verò ad illam locutionem attinet, qua & Melanchthon, & Zabarella, atque alii utũtur, relationem versari inter fundamentum & terminum, ea catachristica est, si fundamentum in propria & principali acceptione consideretur. Neque enim inter efficientem & finalem caussam; sed inter relatum & correlatum, tamquam duo ordinata ad se invicem, relationis ordo versatur. *Libro primo Systematis Logici cap: 2. Sectionis posterioris. Idem Fortunatus*

*natus Crellius docet capite de prædicamento Ad aliquid.* Ex quibus, *inquit*, liquet, relationẽ inter duo versari, non equidem, si peripateticè agamus, inter fundamentum & terminum: fundamentum enim a relatione ipsa non differt; sed inter duo relata, quorum unum ad alterum illa relatione refertur. Sic paternitas inter patrem & filium: dominatus inter dominum & servum: mersio inter mergentem & mersum versatur. *Cum igitur inter fundamentum & terminum relatio non versetur, necesse est, ut qui ajunt inter fundamentum, & terminum relationem versari, per fundamentum relatum, per terminum correlatum intelligant: ne tam præstantes viri Melancbton & Zabarella, Logici celeberrimi, falsa docuiße videantur. Quibus adde Goclenium in praxi Logica. nam & ille ait, omne relativum versari inter duo, quorum alterum vocetur fundamentum (quidam inquit vocant terminum a quo) alterum terminus (quidam vocant terminum ad quem) quicquid ibidem per fundamentum videatur quidpiam aliud significasse, quàm relatum.* Nam *per terminum, haud verisimile est aliud eum intellexisse, quàm correlatum. Ait enim terminum esse rem, ad quam tendit relatio: & esse absolutionem seu perfectionem relati: nec non sicut fundamentum materiale dicitur, ita terminum formale vocari. Quod nequit esse aliud, quàm correlatum. Eadem significatione terminum usurpat Fonseca, definiens esse id, ad quod relativum directè ac primò*

*primò refertur. ut filium esse terminum respectu patris: quia pater, qua ratione est pater, directè ac primò refertur ad filium, & sic in cæteris. 5. Metaphysicorum capite 15. Quæst: 1. Sect: 3. Et Fortunatus Crellius contendit terminum nequaquam esse quippiam absolutum: eò quòd absolutum, quâ absolutum est, nullam terminet relationem. Quapropter mirari licet, cur, cum terminus fundamento, & contra fundamentum termino opponatur, per fundamentum quippiam aliud intelligatur, quàm relatum. Nam fundamentum termino opponi, apertum est ex descriptione a Goclenio facta. Qui vult fundamentum esse rem, a qua oritur relatio, terminũ rem, ad quam eadem relatio tendit. Quod Georgius Saltzhuberus in Quæstionibus Dialecticis significantiùs expressit; dicens, fundamentum & terminum, quæ illi sunt absoluta, alia nomina sortiri: illud quidem relatum, a quo initium ducit relatio: hoc correlatum, in quo finitur. Quæ omnia eo fine dico, ut ostendam, non esse inusitatum, fundamenti & termini appellatione, relatum & correlatum a probatissimis auctoribus intelligi: ut appareat, nullam te justam caussam habuisse, petulantiùs invehendi in magistros meos. Quod idem an non tu volueris disputatione 4 Thesium Dialecticarum scribens, in omni relatione duo potissimùm reperiri, quorum primum fundamentum seu a quo extremum ducitur, secundum terminus seu ad quod extremũ ducitur, dubitari potest. Cum enim de relatione, quâ relatio est, verba facias, necesse est, ut per fundamentum &*

*ter-*

terminum ea intelligas, quorum aliud ad aliud refertur. At non refertur nisi relatum ad correlatum. Nã absoluta, quâ absoluta sunt, accidere relatũ dicuntur. Hoc eodem loco quæri potest, cur cætera alia omittas, quorum omissorum caussâ me arguis & castigas? Ipse potiùs reprehendendus & castigandus, qui Logicam eo loco doces, si plura quàm duo ad relatorum naturam constituendam requiruntur: cum ego disputans adversus Keckermannum, non habuerim necesse omnia relatorum requisita & conditiones referre & recensere, sed ea dumtaxat, quæ usui esse videbam. Quod si excipias, Keckermannum fundamenti nomine aliud quippiam intellexisse quàm relatum, respondeo, in hac potiùs parte me reprehendendum fuisse, non in illa, quando per fundamentum relatum intelligo, dicens relatorum esse alterum fundamentum, alterum terminum.

Alteram rationem meam, evincentem in Deo non esse ejusmodi relationem, cujusmodi est in rebus ex essentia procreantibus, hisce verbis proposui:
" Si Deus gignit, & quidem ex essentia sua, aut com-
" municat totã suam essentiam filio, aut ejus partem,
" aut denique essentia Dei multiplicatur. Atqui nul-
" lum horum trium in Deum cadit: Ergo Deus ex es-
" sentia sua non gignit. Probatur assumptio. Totam
" non communicat, quia est singularis & individua.
" Quæ autem talia; pluribus non conveniunt. Hinc
" est, ut de multis non prædicentur. Non partem: quia
" impartibilis. Non multiplicatur: quia Deus non es-
" set unus: sed quot essentiæ, tot dii: ut sunt tot homi-
nes,

nes, quot substantiæ individuæ. Quam rationẽ meam solvens, duo dicis. unum, Deum patrem esse, qui ex essentia sua filium genuerit; ad quod probandum duo testimonia scripturæ recitas, Ex Psal: 2. in quo dicitur filium hodie genuisse; & ex capite 1. Epistolæ ad Hebræos, in quo scriptum est, λόγον esse χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως πατρός. Alterum, Deum licèt habeat singularem & individuam essentiam, totam tamen communicare cum filio. Cum in iis tantùm individua & singularis essentia pluribus non communicetur, quæ se habent ut caussa & effectus: secus in divinis esse, in quibus esse generantis non sit aliud a genito, sed idem numero. Hæc tu: quorum neutrum consistere potest. Nam nec Deum patrem filium ex essentia sua genuisse, testimonia abs te citata evincunt; nec tu probas, in divinis gignens & genitum non se habere ut caussam & effectum: reclamatq; huic rei manifesta ratio, quæ docet filium esse patris effectum: patrem autem esse caussam efficientem filii. Caussa enim efficiens est, a qua res est. Ad testimonia autem scripturæ allata dico, ex iis non probari, Deum patrem genuisse filium ex essentia sua. Sed prius testari, quòd Deus filium genuerit: posterius, quòd λόγος sit χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως πατρὸς. Atqui Deus gignit alia ratione quàm ex essentia: nam & nos dicimur ex Deo esse geniti, quos tamen Deus ex essentia sua non genuit. Ioh: 1. v: 13. & 1. Ioh: 5. v: 1. Quid quòd Paulus hunc locum Psalmi Act: 13. v: 33.

v: 33. *ad resurrectionem Christi accommodat: apertè docens tunc Christum a Deo generatum fuisse, cum ab eo resuscitatus est, hoc est immortalis factus & rex populi Dei. Idem enim Paulus Rom: 1. v: 4. disertè ait, Christum ex resurrectione mortuorum definitum, id est constitutum fuiße Dei filium. Resurrectionis nomine proculdubio totum id intelligens, quod post resurrectionem ipsam est consecutum; adeò ut non solùm immortalitas, sed plena Christi glorificatio, & ad Dei dexteram sessio eo nomine significetur. Itaque hinc videre potes, Deum longè alia ratione gignere, quàm ex essentia sua. Nec illud, cum ais, Gignere nihil aliud esse, quàm ex essentia sua aliquem producere, alibi locum habet, quàm in rebus naturalibus: ut ideo distinguendum sit inter divinam & naturalem generationem. Ex loco ex epistola ad Hebræos adducto, non video quomodo ostendas, non tantùm Deum patrem ex essentia sua filium genuisse, sed etiam simpliciter genuisse. Nam gignendi nulla in eo fit mentio. Nisi dicas patris vocabulum eam vim habere: quod nimirum nemo Pater vocetur, nisi qui filium ex essentia sua producat. At sciendum est eo in loco non legi vocem Patris, sed esse pronomen relativum Ejus; quod non quidem vocem Patris, quæ nulla antecessit, sed Dei quæ antecessit, refert. Dei autē vox apud Adversarios latiùs, quàm Patris patet. Præterea falsum est, non nisi eum patrem dici, qui ex eßentia sua gignit: cum Deus, pater noster quoque dica-*

*dicatur. Quod si urgeas, Christum characterem ὑποστάσεως Dei dici, indeq; manifestum eße, Christum esse ex eßentia patris genitũ, quòd inter characterem & ὑπόστασιν necesse sit esse aliquam similitudinem; Respondeo, longè aliam esse vim verborum istorum. Dicitur enim Christus character hypostaseos Dei: sed quia ipsum Deum, alioqui inaspectabilem, nobis aspiciendum exhibet; id est, ejus voluntatem atque potentiam, sibi perfectissimè patefactam, nobis ostendit. Breviter, nihil aliud hîc dicitur, quàm, quod alibi scriptum legimus, Christum esse imaginem Dei. 2. cor. 4. coloss: 1. v: 15. & qui Christum videt, patrem quoque videre Ioh: 14. v: 9.*

*Tertium argumentum meum est, Generationem esse neceßariam conservandæ speciei caussâ: Ergo res quæ non intereunt, vel interire non possunt, nec generare nec generari. Huic addidi quartum, in hunc modum paullò prolixiùs scribens.* Eleganter Philosophus 14. Metaphysicorũ cap: 3. inquit: Absurdum verò est facere generationem rerum æternarum, seu ab æterno existentium. Quin potiùs unum hoc est impossibile. Præterquam enim quòd generatio sit speciei conservandæ caussa, æternũ non est, quod aliquando est, & aliquando non fuit, tum quod aliquando potest non esse. Æternum enim est, quod semper est, semperq; fuit. Loquor autem de rebus æternis, non iis, quæ æternum sunt, esseq; possunt, cum aliquando non fuerint, ut dicuntur esse angeli: sed

li: ſed de iis, quæ omni tempore fuerunt, nec fuit tempus quod præceſſerit, ut eſt Deus rerum ille opifex. Æternũ duplex eſt, id quod poteſt ſemper eſſe, & id quod ſemper eſt abſque potentia. Neceſſarium hoc, illud contingens eſt æternum. At quicquid generatur, ſemper non fuit; ſed aliquando eſſe cæpit. Nam quorſum generaretur, ſi fuiſſet antequam eſſet? Generatio, eſt ſubſtantiarum productio, ne ſpecies rerum intereant, individuis pereuntibus. Quicquid etiam generatur poſterius eſt eo, a quo & ex quo generatur. Cauſſa efficiens & materia, ut ens, prior eſt effectu, ut ente. Poteſt quoque non eſſe, quicquid generatum eſt. Omne γεννητὸν eſt φταρτὸν. φθαρτὸν autem intelligo, non illud, quod eſt corruptum, quemadmodum Ariſtoteles lib: 1. de cælo cap: 12. intellexit, hoc enim eſt non propriè φθαρτὸν, ſed ἐφθαρμένον: ſed, quod corrumpi poteſt, licèt contingat æternùm non corrumpi; ut ſunt angeli, & fideles Dei erunt. Ita cælum nunc eſt φθαρτὸν corruptibile. Quod autem omne ſit corruptibile quicquid generetur, hoc ipſum ex eo patet, quòd ab externo principio pendeat, & ex arbitrio cauſſæ efficientis primæ. *Hæc eſt quarta ratio mea, quam tu mutilaſti, ſolius teſtimonii Philoſophi mentione facta. quaſi ad tertiam rationem confirmandam illud pertineat,*

*tineat, & non quartum argumentum constituat. Iam quid solutionis loco afferas, attendamus. Ais igitur, me iterum confundere generationem purè physicam, cum generatione transnaturali & mysticâ. Generationem enim physicam esse propter speciei conservationem; non supernaturalem: & philosophum de nulla alia generatione loqui, quàm de physica: quippe qui de mysterio trinitatis, ne γρῦ quidem sciverit. Respondeo, non me, sed vos generationem transnaturalem & mysticam, confundere cum physica. Vultis enim, ut, quemadmodum res naturales ex essentia sua prolem procreant; sic Deum non alia ratione, quàm ex essentia sua filium genuisse. atqui aliter Deus generat quàm ex essentia sua. quippe qui per resurrectionem a mortuis & exaltationem in cælos Christi, Christum filium sibi genuerit, teste Paulo Act: 13. v. 33. Rom: 1. v. 4.*

*His argumentis addideram alia duo; quorum quia tu nullam mentionem facis, neque ego faciam. Illud hoc loco dicam, non debuisse te sicco pede ea transire, quæ capite nono disputavi, adversus distinctionem vestram de generatione physica & trans naturali. Prævidebam enim hoc vestrum effugium, ideoq; ei occurrere volui. Et sanè aut refutanda tibi erant ea, quæ contra vestram distinctionem disputavi, si eam urgere adversus me voluisti; aut certè ab ea abstinendum fuit, si in animo erat mea non attingere. Sed fucum facere voluisti lectori; quem non fecisses, si distinctionem tuam, cum iis, quæ contra disserui, commisisses. Quamquam & illud in caussa*

*fuit, quòd in meis refutandis vires tuas experiri nolueris. Eam igitur ob caussam, libet eadem, quæ adversus Keckermannum cap: nono disputavi, hic repetere.* „ *Dico enim, vos, qui vultis, vera esse argumenta* „ *nostra de generatione naturali, non autem de* „ *generatione supernaturali, dupliciter errare.* Nam „ *primò pro re concessa sumitis, supernaturalia gene-* „ *rare & generari. At hoc absurdum est, primùm,* „ *quia infinitum actu erit. quod ita demonstro: Effe-* „ *ctus rerum æternarum, vel necessitate caussæ effici-* „ *entis producuntur, vel voluntate. Atqui æterna, quæ* „ *dicuntur generari, non pendent a voluntate caussæ* „ *efficientis, igitur producuntur necessitate ejusdem* „ *caussæ. Propositio patet; quia in æternis, nec naturæ,* „ *nec casui, nec fortunæ est locus.* Tot *autem sunt caus-* „ *sæ efficientes, sive quæ dicuntur per se, sive quæ per* „ *accidens. Assumptio manifesta est.* Etenim, *cum ea,* „ *quæ sunt æterna, nihil se prius habeant, eorum quæ* „ *ex arbitrio alterius pendent, prius est aliud. Finis* „ *movet consultationem, hæc voluntatem, voluntas* „ *producit effectum; quæ ut sint, subjectum aliquod* „ *dare illis necesse est.* Ipsa *enim per se, cum sint acci-* „ *dentia, subsistere nequeunt.* Et *ut subsistere possint,* „ *priora tamen erunt re, quam antecedunt.* Nec *est,* „ *quod quis dicat, voluntatem in æternis æternam es-* „ *se: hoc est, ab æterno, & in æternum eadem velle:* „ *quia non voluntas hæc erit, sed necessitas quædam.* „ Necessitas *adstricta est ad alteram partem contra-* „ *dictionis: voluntas ad utramque. Si quidem est libe-* „ *ra facultas, & hoc sive illud velle & non velle po-* *test,*

*test. Sed hîc quæret aliquis, quid sit absurdi, si dicatur, æterna generari necessitate causæ efficientis? Hoc nimirum, infinitum esse actu. Cum enim æterna, si quæ generantur, necesse sit accipere naturam generantium, non potest fieri, ut, quæ ex natura generantis emanant necessariò, non etiam procedant ex natura generati, ac sic in infinitum. Num est, quod prohibeat, ne natura generati ea producat, quæ producit necessariò natura generantis? Igitur & in generante prohibere potest, etiamsi contingat, ut non prohibeat. Ex quo consequitur, ejusmodi effectum eatenus esse necessarium, quatenus is non impedit, cujus est impedire posse. Quod autem ejusmodi est, a voluntate non impedientis quodammodo pendet.* ” ” ” ” ” ” ” ” ” ” ” ” ” ” ” ” ”

*Deinde, si generantur æterna, æternum hoc erit, & actu semper, & potentiâ aliquando. Actu; quia æternum est, quod numquam non fuit. Potentiâ; quia in iis quæ quocumque modo fiunt, nihil est actu, quod prius in potentia non fuerit. Nisi enim generari potuisset, generatum numquam fuisset. At esse semper in actu, & esse aliqnando in potentia, contradictionem involvit. Idem enim est si diceres, & semper, & non semper actu fuisse. Quicquid est, illud ipsum, quod est, tum quando est, ut fiat, fieri non potest. Contrà, Quicquid fieri potest, tum quando fieri est possibile, actu esse nequit. Actus potentiam, potentia actum tollit.* ” ” ” ” ” ” ” ” ” ” ” ” ” ” ” ” ”

*Secundò in hac responsione, postulant tacitè sibi concedi, aliquã esse generationẽ, cui nihil competat* ” ”

" eorũ, quæ sunt naturalis generationis. Quod si se res
" sic habet, hujus generis generatio, nõ est generatio.
" Nã cui definitio negatur, definitũ concedi nõ potest.
" Fortassis est ita generatio, ut sydus cæleste canis? ho-
" monymως inquam? ergo ut sydus nõ est reipsa canis,
" ita nec generatio hæc, reipsa generatio: consequen-
" terq́, cum dicitur filius Dei esse ex essentia patris
" genitus, intelligendum est, reipsa non esse genitum.
" Bina est, inquiunt, generatio. Cur igitur simpliciter
" proponitur, filium Dei esse ex essentia patris geni-
" tum? An homonymiæ vitandæ caussâ, non est necesse
" declarare quâ generatione filius dicatur esse geni-
" tus ex substantia patris? Alterum sequitur, vel Ad-
" versarios, dum ita absolutè loquũtur de æterna Chri
" sti generatione, generationem eam intelligere, quæ
" est à non esse ad esse; vel amphibologica ista locuti-
" one de industria nobis velle imponere: ut non mi-
" rum sit, si negemus filium Dei esse ab æterno de es-
" sentia patris genitum, quod absque dubio non esset,
" si perspicuum fieret nobis, de qua generatione ver-
" ba accipiant: tum non unius generis esse generatio-
" nem. Nam hactenus, præter eam, quæ est a non esse
" ad esse, generationem aliam nescimus. Vtut autem
" est, probent Adversarii pluribus modis accipi gene-
" rationem: & non sumant pro re certa & indubitata
" id, quod æquè est obscurum & controversum, ac il-
" lud de quo disputatur. Hactenus ego adversus Kec-
" kermannum. Quæ omnia tu silentio involvis, exce-
ptâ ultimâ verborum meorum particulâ, in qua di-
co, vos pro concesso sumere, esse aliquam generatio-
nem,

*nem, cui nihil competat eorum, quæ sunt generationis naturalis.* Etenim *ais, falsum esse vos ejusmodi in hoc mysterio ponere generationẽ, cui nihil competat eorum, quæ sunt generationis naturalis. Quippe quòd putas ab utraque, id est naturali & supernaturali generatione, abstrahi posse communem rationem, quæ essentialem generalem generationis naturam complectatur: licèt postea in modo attributionis, specialibusq; conditionibus appareat diversitas. Itaque eßentiales generationis, sive τοῦ gignere conditiones, tres statuis. Quarum prima est, producere sibi simile: Secunda, cum producto suam essentiam & rationem sive definitionem communicare: tertia, in intelligentibus ex generatione resultare relationem inter patrem & filium. Atque ista omnia, in omni generatione naturali & supernaturali inveniri contendis. Et quod quidem attinet generationem supernaturalem, ais patrem genuisse filium, qui propterea dicatur character τῆς ὑποστάσεως πατρὸς, similisq; patri; quòdq; per generationem hanc ita in se ipso habeat vitam, quemadmodum eam in se habet pater. Secundò, eandem filio essentiam & rationem patrem communicaße, unde dicatur patri còëssentialis: Et tandem tertiò, ex generatione hac relationem resultare inter Deum patrem & filium. Hæc sunt, quæ mihi opponis impugnans ultimam meorum verborum particulam. Sed graviter erras, non minùs in multiplicandis, quàm in recensendis generationis conditionibus. In multiplicandis quidem, quòd producere*

*ſibi ſimile, idem ſit quod, cum producto ſuam eſſentiam, λόγον ſive definitionem communicare. Non aliter enim gignentia producunt ſibi ſimilia, quàm communicando ſeu conferendo eſſentiam & rationem ex ſe genitis. In recenſendis verò generationis conditionibus ideo erras, quòd ſpeciales generantium conditiones, ad univerſaliter ſumptam generationem pertrahas. ut videantur conditiones abs te commemoratæ, potiùs accidere generationi, quàm de ejus ratione & eſſentia eſſe. Etenim manet nihilominus generatio, etiamſi ex ea non reſultet inter patrem & filium relatio, quam tu ſolis intelligentibus tribuis. Producere autem ſibi ſimile, & cum producto ſuam eſſentiam λόγον ſive definitionem communicare, perfectorum eſt duntaxat. Nã imperfecta nonnunquam diſſimilia generant. Cujus generis ſunt, quæ ex putredine ortum habent. 1. de generat: animalium cap: 1. & 16. Gignentium enim alia ſui generis procreant, alia non ſui generis, ibidem. Quin fit, ut ex equo & aſino mulus naſcatur, 2. de generat: animalium cap: 8. Itaq; ſibi ſimile producere, & cum producto eſſentiam ac definitionem communicare, non eſt generalis generationis conditio: utpote ſine qua poſſit eſſe generatio. Sed eſt producere ens ex non ente, 5. Phyſic: cap: 1.: ſeu ſubjectum ex non ſubjecto, ibidem cap: 2.: vel mutari totum in totum nullo ſenſibili remanente, ut eodem ſubjecto. 1. de generat: & corrup: text: 23. Generatur enim ex ſemine animal: ex aqua aër: ex aëre aqua, & alia ex aliis, in quibus nullum ſenſibile*

*bile*

*bile remanet, ut idem subjectum. Ex quo fit, ut gignentis & geniti nequeat esse eadem numero essentia. nam manet idem subjectum, ubi eadem manet essentia. Proinde in talibus non generatio est, sed alteratio. Siquidem alteratio est, in qua manet idem subjectum, transmutatum in suis affectionibus. Contrarium est in generatione. quia uno generato, alterum corrumpitur: ideoq; non est idem subjectum, sed aliud quod genitum est, ab eo, ex cujus corruptione factum est. Cum igitur ad hunc modum generatio se habeat: hoc est, mutatio sit ex non subjecto in subjectum κατ' ἀντίφασιν. 5. Phisic: textu 7., vel nulla in Deo statuenda est, in quo non est unius corruptio, ut alterum generetur; vel si quæ est, nihil commune habet cum naturali generatione. Loquor autem de vi & natura generationis. Nam quis est, qui statuat in Deo mutationem totius in totum, nullo sensibili manente, ut subjecto eodem? hoc est, ex una substantia generari aliã, ita, ut nulla substantia, quæ prius erat, in ipso generato maneat? Numquid dicemus in divinis formam aliam recedere, aliam advenire, sine quo generatio propriè dicta consistere nequit? Etsi enim in omni generatione oporteat esse aliquid non transmutatum, tamen necesse est, ut altera forma recedat, altera succedat: fitq;, ut unius demptio sit alterius acquisitio: ut rectè dixisse videatur philosophus, Unius generationem, esse alterius corruptionem, & contrà 1. de generat. & corrupt: cap: 3. textu 17, & 20. Ista quia in Deo non sunt, quæ dementia est comminisci, Deum*

*ex substantia sua generare? & consequenter quæ sunt generationis naturalis, generationi supernaturali competere? Quid igitur contendis falsum esse cum ajo, tacitè vos postulare sibi concedi, aliquam esse in divinis generationem, cui nihil competat eorum, quæ sunt naturalis generationis? An non manifestum est, toto genere generationem naturalem a supernaturali discrepare? Cum naturalis generatio sit ex non subjecto in subjectum: vestra verò supernaturalis requirat, ut idem subjectum ante & post generationem maneat. Quo respexisse videris, asserens patrem eandem filio communicasse essentiam, λόγον, & definitionem, unde coessentialis filius patri dicatur. Vis enim eandem numero filio communicatam esse essentiam, quam pater ejus habet. At hoc pugnat cum ratione generationis, in qua necesse est illud corrumpi, ex quo aliquid generatur. Est enim generatio mutatio ex non subjecto in subjectum: ideoq́ necesse est, ut succedente nova, recedat prior forma, quia duæ formæ perficientes non sunt in una & eâdem re. Impossibile enim est ex duobus actu, esse unum actu, sed si alterum actu, alterum potentiâ fuerit. Iam quòd filius in seipso habeat ita vitam, quemadmodum eam habet in se pater, non indicat eandem numero patris & filii eße essentiam, sed esse ejusdem generis. Vt taceam, vitæ appellatione non esse intelligendam essentiam. quippe quod duo ista differunt: aliaq́ est ratio vitæ, alia essentiæ. Similis igitur filius Dei est patri suo in eo, quòd quemadmodum pater in seipso vitam habet,*

*sic fi-*

*sic filio dederit in seipso vitam habere: attamen ea similitudo non est pertrahenda ad eam similitudinem, quâ dicimur similes parentibus gigni. loquimur enim tunc de essentia, quam ejusdem generis, seu speciei a parentibus per generationem acceptam habemus: non autem de quavis re per quam parentibus similes reddimur. Tantò minùs pertrahenda est ad eandem numero essentiam. Nam quæ eadem sunt, non sunt similia. Vt enim similia sint, duo requiruntur. Quia simile, dicitur alicui simile. Quorsum igitur ais, Deum Patrem similem sibi filium genuiße, eamq; ob caussam in scripturis dici χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως ejus? &, eundem filio communicasse suam propriam ac individuam essentiam? Similem esse Patri secundum essentiam, & eandem numero essentiam cum Patre suo habere, pugnantia sunt, alterumqué alterum tollit. Etenim si similis est secundum essentiam filius Patri, eandem numero cum Patre essentiam non habet. Si eandem numero habet, idem est, non similis.*

## Caput Octavum.

## Vtrum personæ Trinitatis principio careant, necne.

*Altera definitionis Iustinianæ pars erat, personam Trinitatis principio carere. Quod ego oppugnans, ita disserui. Primùm, dissentanea esse, personam esse relationem, & principio carere. Omnis enim relatio principium habet, ab eo, cujus respectu est*

*ctu est relatio; ut filius a patre, pater a filio: servus a domino, dominus a servo.* Deinde, *ut sint hæc quàm maximè consentanea, iis principiis, quæ Adversarii pro concesso accipiunt, admissis, minimè verum esse, personam Trinitatis principio carere. Sunt autem principia Adversariorum, Essentiam Dei esse fundamentum, unde oriuntur hi modi existendi, Keckermannus in Systemate theologico lib: 1. cap: 3. pag: 20. Nō omnes personas habere modum existendi a sese. Idem pag: 71. Tum unam gignere, alteram gigni, tertiam emitti seu spirari: Nec non, patrem non tantùm ratione essentiæ, sed etiam ratione modi existendi, esse a seipso. Idem pag: 61. Dixi enim hæc sufficienter declare, & quasi ad oculum monstrare, cum omnes, tum præcipuè secundam & tertiam personam principium agnoscere. Principium enim habet, quicquid originem suam ad aliud refert; esseq́ dici potest, cum aliquando non fuerit. Quorum alterum dicitur originis, alterum temporis. Origo personæ omnis, statuitur essentia. Breviter, ad hunc modum sum argumentatus: Qnicquid se prius habet, principio non caret. At quicquid est ab alio, se prius habet, nimirum caussam efficientem. Ergo quicquid est ab alio, principio non caret. Atqui secunda & tertia persona divinitatis est ab alio: quia pater est caussa filii, spiritus sancti pater & filius: Ergo filius & spiritus sanctus personæ divinitatis principium habent. Ista ego dixi, ut ostenderem personas Trinitatis haud carere principio. Iam tu respondes, relationem, ut relatio est, non propriè habere*

*bere principium, sed fundamentum. Cum omnis principii & caussæ ratio, a relationum & relatorum consideratione, tamquam aliena removeatur. At cum principium multiplex sit, satis habui principii nomine illud intelligere, a quo aliud originem sumit. Principii enim vox in definitione Iustiniana absolutè posita fuit. Quare nihil refert, in relatis, quæ sunt relata, non esse ullam considerationem caussæ, dummodò relatum aliunde originem suam trahat. Multò autem minus negandum est principium in relatis esse, si & fundamentum & subjectum ad relatorum naturam pertinet. fundamentum enim & subjectum principia sunt relationum. At si eadem relata ut absoluta consideres, plerumque alterum alterius est caussa & effectus, ut hoc loco, is, qui dicitur pater, caussa est ejus, qui dicitur filius. Neque obstat, quocumque modo relata sumas, relata esse simul naturâ, quominus in relatis principium constituatur. Relatorum enim ratio non excludit principii rationem: possuntq; relata simul esse naturâ, licèt alterum sit principium, alterum principatum. quin hæc ipsa relata sunt, Principiũ enim est principati ratione, & contrà. Neque necesse est ut omne principium, quà est principium, sit prius suo principiato, sed quà est absolutum quid. Nam quà est principium, non est prius principato: sicut caussa caussato. Exempli gratiâ; Pater, quâ est caussa & principium filii, est simul cum filio, at quâ est absolutum quid, filio prior est. Non est igitur verum quando inquis, Omne principium naturâ prius suo principiato*

*esse, &*

*esse, & caussam non posse esse priorem suo caussato, si loqueris de principio & caussa, quà caussa & principium sunt. Unde canones logici & metaphysici, ad quos recurris, accipiendi sunt de caussa & caussato, principio & principiato, quâ sunt absoluta, non quâ sunt talia. Ut pater prior est filio, quâ homo; simul cum filio, quâ caussa. Hinc illud Aristotelis,* Quod igitur est caussa, & id cujus est caussa, simul fiunt cum fiunt; & sunt cum sunt: itidemq; simul facta fuerunt, & futura sunt, *2. poster: tex: 57. quibus verbis reciprocationem caussæ & effectus indicat.* Nulla *autem esset reciprocatio, si caussa, quâ caussa, prior caussato esset.*

*Sed neque tu videris simpliciter negare principii & caussæ rationem, itemq; principiati & caussati in relatis, modò ea non quâ talia sunt considerentur, sed quâ fundamentum relatio habet. Sic enim scribis;* Si autem principii vel caussæ ratio, itemq; principiati vel caussati omnino quæri hic debet, ea non in relato & correlato, sive etiam relatione ipsa, quatenus talia sunt, quæratur, sed in fundamento relationis. Relatio enim, quia, ut loquuntur, minimæ est entitatis, tota ferè illa ad fundamentum reducitur. Quare si hoc principium & caussam habet, utique & ipsa relatio propter fundamentum tale quid habere dicetur. *Ex quibus verbis apparet, te in relatis caussam & principium ponere, quatenus nimirum fundamentum habent; fundamentum autem ab alio dependet.*

*pendet. Itaque frustra conaris ostendere, divinas personas principio carere. Nam ut careant quâ sunt relata, non carebunt tamen quâ sunt absoluta: quorum duo sunt, alterum, quod alio nomine relatum dici solet, alterum, quod crrelatum, seu quâ fundamentum & subjectum habent. Nam relatum a fundamento; fundamentum a subjecto dependet: quin subjectum unum ab altero subjecto: videlicet pater seu paternitas ab actu generandi; hic autem a subjecto, nempe homine, aut aliqua alia re: rursus unus homo ab altero homine, filius scilicet a patre. Duo enim subjecta requiruntur in relatis: & alterum dicitur relatum, alterum correlatum.*

*Verùm tu inquis, licèt res ad eum modum se habeat, in Deo tamen non esse caussam vel principium; eò quòd æternorum & divinorum nullum detur principium. Atqui ex eo quòd æternorum & divinorum nullum datur principium, sequitur æternorum & divinorum nullam esse relationem, quæ ex eo oriretur, quòd unum ex essentia sua alterum produxerit. Invicem enim se perimunt, æternum esse, & esse ex alterius essentia generatum. namque nulla ratione fit, ut quod generatum est, æternum sit: nisi idem generetur, quod ante generationem fuit. Id autem est impossibile. cum per generationem nova res constituatur, corrupto eo, ex quo aliquid generatur. proinde opposita sunt, Deum esse æternum, & esse genitum a patre. Siquidem æternum excludit omne principium, a quo dependeat & existat; genitum esse, hoc idem principium præsuppo-*

*supponit. Quicquid enim genitum est, ab alio profectum est. quod tu animadvertens, ais, principii in divinis rationem, non esse naturæ vel caussalitatis, sed ordinis tantùm. unde suo modo propriè patrem dici posse principium filii: sed nō contra, filium principiatum vel caußatum patris. Sed nihil horum verè, nam si Deus pater filium genuit, & naturæ & caussalitatis principium est. Vbi verò principium est & caussa, ibi quoque principiatum & caussatum dari necesse est, quia principium & principatum, caussa & caußatū, mutuò se respiciunt, suntq́; de relatis. Relatum autem necessariò alterum relatū infert. quoniam hoc ipsum quod sunt, aliorum respectu sunt. At instas, principium notare ἁπλῶς perfectionem, ideoq́; a Dei natura non esse alienum: at principiatum & caussatum imperfectionem; ob id in propria significatione nullo modo Deo tribui, qui ab omni imperfectione abhorret. Quæ etsi vera sunt, non tamen simul consistere potest, Deum ex essentia sua filium genuisse, ideoq́; esse principium filii & caussam, non tamen filium principiatum & caussatum patris. Infert enim principium principiatum, & caussa caussatum. Alterum igitur eligendum est, aut Deum patrem non genuisse filium ex essentia; aut admitti in divinis principiatum & caussatum. Neq; enim minùs generatio in divinis imperfectionem notat, quàm principiatum & caußatum. Vbi verò ais, caussatum & principiatum non esse relationem; sed vel subjectum relationis, vel ejusdem fundamentum, verbi gratiâ, Isaacum non dici caus-*

*caussatum vel principiatum Abrahami, ut ejus filius est; sed ut homo ab Abrahamo productus; ex qua productione & caussatione oriatur relatio, animadvertere debes, satis esse, esse caussatum & principiatum alterum relatum, seu ut vulgè vocant, correlatum, quâ est absolutum. Nam & nos cum de divinis agimus, hoc satis habemus, filium Dei, quâ absolutum quid est, hoc est, quà essentiam habet a patre, principiatum & caussatum esse patris; licèt tibi demus, non esse principiatum & caussatum, quâ est relatum.*

## Caput Nonum.

## Conclusio cum præfatione ad adversarium.

*Habes Iacobe brevem responsionem meam ad ea, quæ contra me disputasti, tum de persona in genere sumpta; tum in specie de divina persona. In qua nihil, quod vel responsione, vel animadversione dignum visum esset, quatenus per tenues ingenii mei vires fieri potuit, intactum reliqui. Idq́ nullis adhibitis aculeatis vocibus, quibus te perstringerem, par pari referens. Sæpiùs enim me hæreticū, nonnumquam pseudophilosophum, & in dialecticis puerum appellas; ut taceam illud ironicum tuum, me tantum philosophum, & tantum theologum abs te dici. Nam quod attinet hæretici nomen, haud tuum est statuere, me esse hæreticum, quod ego idem, pari jure, in te regerere possim. Quid enim? an ego*

*solus tibi, & non tu quoque mihi a veritate rerum divinarum aberrare videris? Cur ergo ego tibi, & non tu quoque mihi hæreticus, si quivis error in rebus divinis hæreticum facit? aut ideo quis hæreticus statuendus sit, quòd errare alicui videatur, licèt reipsâ non erret? In philosophiam autem toties injurius es, quoties in hac disputatione talia profers, quæ philosophicis principiis quàm maximè adversantur. Et tamen neque hæreticum, neque pseudophilosophum ausim te appellare: Christi institutis vetantibus, in quibus proximi charitas nobis commendatur. Dialecticæ cognitionem etsi exactam, & numeris omnibus absolutam mihi non arrogo; eam tamen videor mihi esse consequutus, quæ ad usum & quotidianam exercitationem satis est. Quo nomine si me puerum vocas, equidem nihil moror. Consenescere in præceptis nō mihi fuit propositum. Fructum, non gloriolam studiorum meorum quæsivi: quam sibi habeant, qui contemplationi praxin postponunt. mihi finis pluris est, quàm comparata ad finem. Philosophum & theologum me non esse ingenuè fassus sum in præfatione ad lectorē, disputationi contra Keckermannum præfixâ: tantum abest, ut tantū theologum; tantumq́ philosophū me esse somniem. Ad extremum, quid, insigne illud tuū scomma,* modò hæreticus cerebrum non gerat in calcaneo, & judicium in pedibus, *pag. 453 sibi vult? Numquid adeò rudis, aut bardus sum, ut cerebrum in calcaneo, & judicium in pedib' gerere tibi videar? Itáne licet tibi in me debacchari, nullâ habitâ ratione honoris, quē, si non eruditionis alicujus,*

(licet, quàm exigua in me esset, agnosco,) at saltē generis nomine, merui. ut taceam dedecere talia professorem Academicum: id est virum litteratum, qui nisi æquè morum cultu ac eruditione præeat cæteris, plus ignominiæ, quàm laudis & gloriæ reportat.

Iam cur quinquennio post editionem scripti tui disputatio mea in lucem adversus te prodeat, in caussa sunt, partim occupationes meæ, partim quòd demum anno millesimo sexcentesimo decimo septimo exemplar scripti tui nactus fuerim. Nam etsi theses eadem de materia unico ante anno, missæ ad me Witebergâ fuerint, tamen cum resciverim emisisse te certum quoddam scriptum, in quo adversus me disputes, calamum de tabula subducendum, & a respondendo tantisper supersedendum duxi, donec scriptum tuum haberem. Sed factum postea est, ut adversâ valetudine biennio, cum periculo vitæ meæ, conflictarer. Quâ tandem recuperatâ, calamum resumpsi, nec a scribendo priùs destiti, quàm ultimam huic lucubrationi meæ imponerem manum. Quod licèt anno superiore factum sit, tamen cum certis aliis de caussis, tum ut hæc opella mea aliquantulo tempore maturesceret, differendam ejus editionem putavi, pressurus in nonum, ut ille ait, annum, nisi maturandam quidam amici urgerent, tantò studiosiùs promissum a me exigentes, quantò negligentiùs ego illud præstare videbar. Miraberis autem sine dubio, quamobrem ad reliqua, quæ eodem libro contra me, nostrosq; disputas, nihil respondeam. Sed hujus rei nulla alia est caussa, quàm

*quòd a scholasticis ejusmodi contentionibus natura me alienum finxerit: ad quas non nisi urgente aliqua necessitate descendere soleo, ut in hac de persona disputatione. Cujus cognitio sufficere videtur ad convellendam maximam eorum partem, quæ de undecim objectionibus a Keckermanno pro parte nostra allatis, a capite 41. ad finem usque scripti tui, adversus me, easdem objectiones ab impetitionibus Keckerm... nni vindicantem, disputas.*

*Ad e... , scripturæ testimonia, quæ a capite 18 ad 41. caput ejusdem scripti proponis, videntur respondisse sufficienter, partim Enjedinus, partim Socinus, partim Smalcius: Sed & ego nonnulla parte secunda Disputationis meæ adversus Keckermannum refutavi. quæ etsi tu refellere aliqua ex parte tentasti, tamen non ea est refutatio tua, quæ attento Lectori sufficere possit. Vt pote in qua non minùs, quàm in reliqua tua disputatione, multa falsa pro concesso sumis, in pleriq; principiũ manifestè petis, ut videaris non tam disputare, quàm ex cathedra docere. Inter quæ duo hoc differt, quòd disputantem oporteat principia vera & adversario nota sumere; docentem satis est, quid quisq; de re aliqua sentiat indicare. Hæc est illa caussa cur sola refutatione eorum, quæ de ratione personæ disseruisti, contentus, nihil ad reliqua scripti tui responderim. Tametsi neque per occupationes meas facere id licuit. Si tamen aliquando tãtum otii mihi fuerit, ut hisce, quæ restant, refellendis vacare possim, dabo operam ut ad ea quoq; responsionem meam habeas.*

*Vale.*